G
789
Digitized by Google

EX LIBRIS JACOBJ MANZONI

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
13 G
51

# AD CHRISTIANISSIMVM REGEM GALLIAE.

# DE CANIBVS ET VENATIONE LIBELLVS.

AVTHORE MICHAELE ANGELO BLONDO.

IN QVO OMNIA AD CANES SPE-
*ctantia, Morbi, & Medicamina continentur, Priſca, &
Neoterica etiam exempla, a nemine hactenus acura-
tius ſcripta, inſidiæ ferarum, & proprieta-
tes, cum quibusdam Venationibus
noſtri sæculi maximorum
Principum cognitu
digniſſimis.*

*Cum Auctoritate Diui Pauli. III. Max. P. atq; Illuſt. Senatus Venetiarum Priuilegio in Decennium.*

ROMAE M. D. XLIIII.

# FRANCISCO CHRISTIANISSIMO REGI GALLORVM

MICHAEL ANGELVS BLONDVS

FELICITATEM.

PERMAGNI *Intereſt*, Rex *Chriſtianiſſime, quo tempore* Libel*lus hic oblatus fuerit tuæ* Maie*ſtati.* Nam, *ſi redditus fuerit, cum a ſollicitudine* Imper*ij liber fueris, ſpero, quod nihil regiam* Maie*ſtatem offendet.Solent.n.ſæpe eſſe moleſti,qui imtempeſtiue adeunt* Re*gem.* Q*uare ſi commode tempus ad te ſeruauerit adeundi, confido,& eum gratum fore, et me facile impetraturum locum ſeruitutis,apud* Regiam Maie*ſtatem.* Nam *diſciplina* Canum, & Venationis, *quæ hic eſt conſcripta accuratius cæteris,admonet, & viros, & iuuenes, quo illam minime contemnant,quinimo,hortatur,ut eam iucundius amplectantur,q̃ fecerint hactenus,quia homines per venaticam diſciplinam, acriores euadunt bellatores, fiuntq; optimi venatores, magis ſtrenui* Milites, *quibus & ſeruantur* Imperia, & *propagantur.* Ideo *cum* Venatio,& Canes, *inuentio* Deo*rum fuerit, vt inquit* Xenophon, *ad* Cirum Regem. Vi*ſum eſt & mihi, ꝙ nunc etiam venari, &* Canes *alere,*

ſit Regium, de quibus cum conſcripſerim Libellum, tuæ Maieſtati deſtinare curaui, quo venatico exercitio, ſaluberrime vitam ſeruare, & plurimis optimis venatoribus factis, Imperium tuum propagare poſſis. Vale.

# AD FRANCISCVM CHRISTIA- NISS. R. GALLIAE.

## M. ANGELVS BLONDVS, DE CANIBVS, ET VENATIONE.

## PROHOEMIVM.

QVIA NON Est *prætermittenda Cura Canum, tum cuſtodiæ gratia, cum defenſionis, et ſolatij, ac venationis. Ideo vt priorum annorum vota alacres, ita, noſtræ etiam tempeſtatis oblectamenta, læti perſoluere conſtituimus. Noua Priſcis curantes addere dogmatibus, moti, ſeruitio Principum,* & *Matronarum, onus hoc ſuſcepimus. Propterea oramus Deum, vt Rempub. Chriſtianorum,* & *florentem, et incolumem, ea benignitate ſeruet, qua, immaculatas animas ſolet ſuſcipere,* & *nobis faueat precamur, ut quas legimus, uel nouimus Canum proprietates præcipuas, efferre poſſimus, quo naturæ, primum opus egregium, demum offitium cuiuſq; Canis, ope Superum maximi prodere valeamus.*

### De Cane.

INTER *Plurima Animalia, quæ Natura ab initio produxit, inuentus eſt Leo, Sus, Ceruus, Lupus,* & *Canis, cæte-*

raꝗ; agreſtium, & ſyueſtrium animantium diuerſa genera, inter quæ nouimus Canem, tum ſocium hominis, cum defenſorem eſſe, quod amorem maximum erga hominem indicans nobis, & præſtantiam eius, ſuaſu naturæ, & canis dotibus, ſtatuimus, cuncta de cane atꝗ; ad canem ſpectantia, ac de venatione colligendo Priſca, & noua addendo ſcribere. Itaꝗ; canis eſt animal quadrupes, latratu percutiens aera, & iuxta prouinciarum diuerſitatem, diuerſus eſt & canis, vt monſtrabitur. Sed canis, ut cætera animalia quadrupedia, ſortitus eſt, caput, collum, & alias partes capitis quibus differt ab alijs quadrupedibus. Verum cuncta interna canis, ſimillima ſunt Leonis viſceribus, & vice brachiorum vtitur anterioribus cruribus, pectus anguſtum diuerſum pectori humano, quia latum eſt, cætera etiam anguſta, ſub ventre geſtãs ubera plurima, flectit priores pedes, ut brachia homo, ab armis pendentia, poſſidet, & crura in poſteris pedibus, et canis eſt de animalibus geſtans caudam, & piloſum eſt animal, ſed quadruplici fiſſura pedum acutis digitatur unguibus magnis, addidit, & quintum unguem natura paruulum, & per ſpatium ſemotum a dictis, habet & teſtes, & mentam pendentia foris intra poſternos pedes, inſtar Leonis. Os autem canis ornatum eſt dentibus ſerratis, quibus vt ſibi prodeſt, ita ſolet nonunꝗ; homini nocere.

De ſignificato Canis.

COMPERIMVS Priſcos nomine canis, Tria tãtum uocitaſſe. Duo de animantibus: Tertium uero ſydus cœleſte,

*notiſſimum & terricolis. Sed de animantibus, in mari piſcis eſt, de quo edimus. Carnoſum etenim eſt animal, & acutis & multis carens oſſibus. Alter vero eſt quod depiximus animal, tamen addimus etiam aliud, Canisſentem, & eſt Cynosbaton, fructus quidam rubi adſtringentior, vt docuit Gal. ij. de Aliment. facultatibus.*

De antiquis nominibus Canis.

LEGITVR Apud Martialem, Canis nomen Vertagus, *qui tantũ domino venabatur. Is etenim cõprehenſum leporem intactum deferebat domino, &* Ouid. *meminit quendam canem magnum* Lelapa *vocitatum, ſed* Maro, Liciſcam *in* Bucolicis, & *alibi meminit de* Vmbro, & *a* Pio *nobis olim familiariſſimo, canis uocatus erat* Scymnis. & Publij Catellæ, *fuit nomen,* Iſſa. *Sed* Acteonis *magni venatoris canum erant nomina, vt cecinit* Naſo, Melampus, Pamphagus, Doriceus, Oribaſus, Nebrophonos, Therõ, Pterelas, Agre, Hyleus, Nape, Poemenis, Harpya, Ladon, Dromus, Canache, Sticte, Tigris, Alce, Leucõ, Aello, Ptous, Cyprio, Harpolos, Melaneus Lachne, Labros, Aglaudos, Hylactor. Cœlius *autem, canum, hæc nomina retulit,* Licitas, Aeſchylo, Charon, Corax, & Arpya. *Sed* Mantuanus *vocitauit canes his nominibus,* Hylaxe, Harpalagus, Tigrina, & *pleriſq; iam dictis, & plurimis alijs, vt* Ragonia, Serpens, Ichtia, & Helor, Argus, *canis fuit nomen,* Centenarius, & Lucernarius *canis uocabatur,* Syagius, Acalanthis, Menalcha, Lampurus, Lethargus, Aura, Hyppocentaurus, Hyrcani, Mera, Graucis, Chiron,

& Pilaſter.

## De Neotericis nominibus canis.

RECENTIORES Etiam diuerſis alijs nominibus uocitant canes, quia uocant Leonem, Lupum, Stellam, Quatroculum, Fulgur, Bellinam, & diuerſis alijs nominibus appellãt canes, deducentes etiam a patria nomen, ut Nato apud Britanos nomen eſt Britanus. Apud Gallos, Gallus, & Affricano a Tuneto impoſitum eſt nomen. & orto in Corſica Inſula, nomen eſt Corſus. A Mediolano dicitur Milanus, & Crouatus in Crouatia eductus. Rubinum etiam dicimus eſſe canem, plurimiſq; alijs nominibus uocamus canem, & ad placitum imponimus nomen, ſed quoniam hæc nomina parum inter ſunt. Ideo ad vtiliora deſcendemus. Quia notum eſt, ut Hyſpani ſecundum ſuam conſuetudinem, & proprium idioma uocitãt canes, haud aliter & Galli. De Germanis, Aphris Græcis, atque Italis, idem dicimus. Catellam uero noſtram appellamus nomine furiam, frequenti etenim concitatur rabie in furorem.

## De genere Canis.

COLVMELLA, Cum de genere canis, inquit, eius autem, parandi, tuendiq;, triplex ratio eſt. Nam q; vnum genus, aduerſus hominum, & ferarum inſidias eligitur, & id villam quæq; iuncta ſunt villæ cuſtodit. Aſt alterum, propellendis iniurijs hominum, & ferarum, & id obſeruat domi ſtabulum, foris pecora paſcentia. Tertiũ venandi gratia comparatur, idq; non ſolum nihil Agricolam iuuat, ſed & auocat

deſidemq;

deſidemq; ab opere reddit. Tamen nos addimus quartum, delicias & Principum, & Matronarum, & ſunt catuli, quorum præcipua patria eſt Hyſpania. Nec quintũ genus omittimus canum, quia ſunt cuſtodes virorum nobilium, & hi piloſi hirſutiq; ſunt canes. Sed patria illorum eſt Gallia. Sextum etiam pronunciamus genus Italicum, & eſt inter catulum, & canẽ mediæ ſtaturæ canis. Qui haud prodeſt homini niſi ut deuoret, & latret in auram.

De cane villatico.

CANIS Villaticus inquit Colum. Eligendus eſt ampliſſimi corporis, vaſti latratus, canoriq;, prius ut auditu maleficum, deinde etiam conſpectu terreat. & niger colore eligitur uillaticus, quoniam uarium colore neq; candicantem laudauerunt Priſci, niger autem atrocioris eſt aſpectus. Nigrum etiã inſidiator non diſcernit in tenebris, ſiue per noctem, propter vmbræ ſimilitudinem. Sic etenim villici cuncta ſunt tutiora. Sed Cæſar Conſt. reſpiciens ad pilos terrorẽ inducentes maleficis, videtur, inquit, hirſuties multum terroris incutere inſidiantibus, talis itaq;, aduerſus hominum, & ferarum inſidias eligitur.

De forma præſtantiori villatici.

APVD Omnes villaticos maxime probatur canis quadratus geſtans caput magnum quod maxima pars corporis aſſeritur. Laudantur protenſi, & deiecti aures, oculi nigri, ſiue glauci, radiantes, lumen acre, ſiue acutum, comprobatur pectus ſpatioſum & viloſum, latiſſimi armi villatico cani ho-

nori ſunt. Et crura craſſa hirtaq; arguunt eius præſtantiam. Paſſus grauis, & pedum magna veſtigia in quibus vnguium ſigna apparent, canis inditia ſunt ferocitatis. Verum cauda potius breuis, ꝙ diſtenſa teſtis eſt roboris. Præterea labra ſubruſa ſiue uergentia ad nigrum colorem, & acuti, & candidi dentes. Totius habitudinis quædam ſoliditas, reſtitudo arſtuum, & crurium, ac ſpinæ dorſalis, arguit canis præſtantiam. Quod ſi eundo præ ſe fert quandam grauitatem, digeſtis & articulis, & unguibus incedens, is maxime laudãdus eſt. Præcipue ſi uoraciter vorat edulia, faucibus horrẽtibus, ut paratus conſliſtibus, is villæ cuſtos eſt præcipuus. Oportet aũt ut ſit mitis moribus uillaticis, alienis uero, & inſidiatoribus trux atq; crudelis.

De cane defenſorio.

QVI Futurus eſt canis defenſorius eligendus eſt, forma præſtanti qua terrorem inducit proſpicientibus, laudatur huius ſeueritas, quia blandus uilior, comprobatur qui & conſeruos intuetur ut iratus, & qui uelocius excandeſcit in exteros, is eſt præſtantior, & qui magis uigilat, & circumquaq; proſpicit, is eſt animoſior. Sed quoniam natura, raro eſt canis defenſor optimus. Ideo hac inſtruſtus arte præſtantiſſimus erit defenſor. Dum fuerit infans irritandus eſt ad iracundiam ab infantibus. Cum uero uenerit ad annum, et perfeſtam ætatem, tum laceſſitus, gladio obruendus eſt, ſecumq; dimicandum ſit, donec os cruentum, defeſſus & uiſtor reportauerit. Seruus autem & gladiator, uel lacer, ſiue uiſtus receſſerit, &

poſt pugnam uinclis arcendus eſt, neq; eſt ſoluendus ut cur ſim erret. Verũ uinctus paſcatur donec euaſerit optimus deſenſor. Eſt autẽ aggrediendus ſtrictis mucronibus hactenus ſortior fuerit fortiſſimis bellatoribus, & cum fuerit talis, ducendus eſt contra hoſtes, quia ſecurum redit dominum ab inſidiantibus. Hoc enim ſeruatur hac tempeſtate etiam plerisq; in locis Hiſpaniæ, ut percepimus. Ideo qui fuerit inſidiator hominum, utatur exemplo Alexandri Phærei Tyranni Theſſaliæ, qui eduxerat canem inſolitæ magnitudinis, atrocem, & cunctis maximum inſultorem, prætor domeſticos, atq; illos a quibus neſcebatur. Hunc etenim Alex. dum dormiret foribus cubiculi, ut ſuſpectus exponebat, quia uarijs tormentorum generibus populum quotidie comprimebat. Simillimus ergo canis in propellẽdis iniurijs hominum, atq; ferarũ, optimus eſt, is etiam fideliter obſeruat ſtabulum domi, & foris cuſtodit pecora paſcentia.

## De cane paſtorali.

CVM Paſtoris ſit ſocius canis etiam, ad cuſtodiam gregis atq; armenti, non eſt prætermittendum qualis eſt eligendus, qualiter ue educandus, ac contra inſidias rapacium ferarum aptandus ſit, ne deſſiciat in conflictibus Luporum. Ideo compar deſenſorio eligatur cani, haud aliter & educatur. Tamen Columella magis laudauit albi colorem in paſtoralibus, quod ſi talis educari non poſſit. Sit cuiuſuis alterius coloris, quia uarium colore neque in uillicis, neque in paſtoralibus Priſci laudauerunt. Verum, nec miremini ſi candidi canes hac tempeſtate

*probantur a paſtoribus, quoniam diſſimiles ſunt Lupis inſidiatoribus, qui aggrediuntur gregem, iam ſparſis tenebris ſuper terram, cum paſtor non diſcernit, inſidiator quis, ſiue defenſor fuerit. Plerumq; etenim iaculo transfigit canem ſocium, ſeruans inſidiatorem. Nec tamen magnam pernitiem Strigoniam ue approbamus in cane pecuario, nec grauitatē, ſiue craſſitiem iſtius canis laudamus, quia ſtrenuitas, & promptitudo aliquatenus eſt commendabilior. Ideo Columella, Talis ad rixam atque ad pugnam, nec minus ad curſum comparatur, cū & Lupi repellere inſidias, & raptorem ferarum conſequi fugientem prædamq; excutere, atque auferre debeat. Is autē compar ſit uillatico, in omnibus membris, præterq̄ ſit corpore productior, quia celerior eſt in ſectandis hoſtibus. Verumtamē ne defficiat in conflictibus armandum eſt collum eius ferreis thoracibus aculeisq; clauibus plurimis eminētibus inſtar magnitudinem digitorum diſtinctis breui ſpatio. Namq; hoc idē & Cæſar. C. ſenſit, ſed ſaxoſis dumoſisq; in regionibus pedibus calciamenta, ſiue coturnices ſunt adhibendæ quibus prætegantur uſq; ad crura, ut inſenſis pedibus ſtet ualidior aduerſus beſtiarum impetus. Is etenim in propellendis iniurijs hominum, atque ferarum, quas gregi ſiue armento inferunt canis eſt præſtantiſſimus.*

### De cane venatico.

TERTIVM *Genus canis eſt, quod produxit natura propter uenationem. Venatio etenim ſolatur hominem ardentes animi curas temperando. Itaq; canis uenaticus eligendus eſt*

*productior ambobus dictis. Talis namque celerrimus eſt in ſectandis prædis. Sit etiam caput eius porrectum in longum, atque in os acutum, nec concluſa acies oculorum potior eſt, quam porrecta, nec ſupercilijs prætecta plurimis, ſpacioſum pectus & valida crura cum gracilibus pedibus in venatico cane ſunt præſtantiora. Armi ſint valde oſſei, & lati, Thorax protenſum, & magnum, Pars autem illa, in qua ſunt genitalia arcta atque anguſta laudatur, Menta etiam cum teſtibus contracta præſtantiorem quam extenſa indicat. Atque in hoc cane cõſuetudo, longiorem caudam approbauit, nulla celeritatis neceſſitate coacta. Armi etiam breuiores, & magis proni in terram quam tergora ſiue pedes poſterni laudantur, quia elatiores vulgo probantur poſterni, & venter cum renibus quanto fuerit anguſtior. Tanto eſt maioris uelocitatis inditium, & qui geſtit tubarum ſonitu, & cornuum, efferens caput arrectis auribus, ut prædam conſpiceret. Quique nititur elaqueari emitti, ſiue qui ingyrum flectitur latratu ululans. Quiue anternis pedibus errigitur, mordicans uenatorem. & qui motibus, uel ſibilo anterior eſt, ſiue hortationibus, is optimus eſt canis uenaticus. & is leporarius dicitur a deprehendendis leporibus. Ideo Xenoph. inde venatione, cum de uenatico cane, inquit, Primum igitur magnos eſſe oportet. Venaticos videlicet canes, leuia deinde capita ſymas articuloſas ſub fronte, elatos oculos nigros præfulgidos, magnas frontes, ac latas, caua diſcrimina, breues aures, ac tenues, poſteriora gracilia, ceruices longas, molles, ac terretes. Pectora lata, & ab humeris non*

*macilenta. Humerorum interualla, parum diſtantia, Anteriora crura breuia, recta, terretia, ſolida, articulos rectos, latera non valde caua, ſed coeuntia in obliquum, ſpinam carnoſam megnitudine media, ilia nec mollia valde, nec dura, inter magna & parua, clunes obeſas, poſterius carnoſas ſuperius uero aptas, interius contractas. Inſeriora uentris, cum ipſo uētre inania, caudas longas, rectas, acutas, in venatico cane laudamus.*

## De Cane Odoro.

CANEM *Odorum, quidam autumant præſtantiſſimū quadratum eſſe. Nos etiam probamus, & breuem ſimo potius q̃ adunco roſtro, capite concino, neq; ut maior pars corporis uideatur anterna, ſed æqualis admodum poſternis cruribus, nec pectus maius uentre, et dorſalia æqua, atque porrecta ad caudam uſq;. Agilitas & crebri motus oculorum, & arrectio pendentium aurium frequens truncæ caudæ motus, & roſtri per terram odorus error. Sed qui diutius ſentes, ac ſpineta odorat, prædam querendo, is eſt ſagacior, quiq; offirmatur, vbi prædam inuenerit dominum morando, is eſt præſtantiſſimus canis odorus. De coloribus in Italia eligunt uarium colore, & maculoſæ linci perſimilem, nec tamen ſpernēdus eſt canis nigri coloris. Albus etenim, ac fuluus color canem odorum decorat. Verum arcendus eſt vinclis in ſtabulo, dum non venatur, ibiq; alendus eſt ſiccis potius edulibus, q̃ iuribus craſſis, brodia namq; efficiunt grauiorem. Siccum autē alimentnm redit præſtantiorem, educendus tamen nonnunq̃*

*eſt e ſtabulo, uinctus, in uicos tantum, ut locium, & feces deponat illarius. Demum arcendus eſt ad uenationem uſque.*

*De caniculo delicioſo.*

DELICIOSUS *Caniculus eſt paruulus catulus, pedalis, ſiue ſemipedalis. Isque carior eſt, dum magnitudine comparatur Muri cum adoleuerit. Eligitur quadratus corpore, non teſtaceus, ſed etiam geſtans caput muris inſtar capitis, paruum & roſtrum præferens, cum auribus haud maioribus cuniculi, breuiſſima crura, & pedes anguſti, & cauda longa admodum laudatur, ut & collum circundatum pilis longiuſculis ad armos uſque. Cætera habens ut tonſa. Blandus magis carus eſt quam sæuior de coloribus eliguntur, candidi ſiue nigri, Cæteri namque colores minus præſtantes ſunt. & piloſus ac depilis, hyrſutus, et protenſis pilis prætextus inuenitur caniculus.*

*De cane ſodali.*

CANIS *Sodalis eligitur piloſus ſiue hirſutus, & qui longiſſimis pilis naturaliter eſt ornatus, ut ouis uellere. Is inter canem, & catulum eligitur magnitudine media. Cuius tamen pili protenſi, ſiue criſpi fuerint non multum intereſt, neque eſt diſerendũ qualis ſit eligendus propter vellus ſuum. Verum enimuero quadratura corporis eſt potior quam & parua protenſio. Cuius autem caput fuerit piloſius ad roſtrum uſque, ille eſt eligibilior. & qui manſuetior ille eſt carior domino.*

*De inutili cane.*

INUTILIS *Canis eſt, qui nec dño prodeſt nec eſt aptus uenationi, neque bonus ē cuſtos, nec defenſorius canis potuit eſſe*

neq; odori canis dotem poſſidens, talis cuiuſcunq; coloris fuerit inutilis erit, in auram latrat.n.inaniter, & rodit cum quid corripit. Poſtmodum iacet ut morbo correptus. Is autem fœculentibus, ac putridis ſemper paſcitur.

De fidelitate canis.

DE Animalibus quæ nobiſcum uerſando cohabitant multa ſunt cognitu digniſſima, quia fideliſſimi ſunt homini canes, quoniam vidimus atq; accepimus, canem pugnaſſe aduerſus hoſtes pro domino, neque ſectum ictu etiam receſiſſe, niſi cum domino. Legimus quoq; Romanum adoleſcentem canem atque vxorē duxiſſe ad Senatum, ut patribus perhiberet, hoſtem grauiſſimum eſſe mulierem, canem uero hominis fuiſſe præcipuū amicum, Quoniam propoſuerat Senatus, de maximo hoſte atque amico hominis dignoſcendo. Cumq; poſt uerbera coniux ſecreta detexiſſet uiri. Gelatumq; parentem eius prodidiſſet ſenibus confeſtim, & canem percuſſit, idem & expulſit. Canis autem iubilans confeſtim ad dominum uerſus eſt humillimus, ut qui ueniam rogaret pro ſcelere. Cum tamen nihil cōmiſiſſet. Itaq; plurimis ſimillimis exemplis notiſſimum eſt canem hominis præcipuum amicum eſſe. Teſtatur etiam Plin. ꝙ canis latratu coegit quendam, ut cogeretur fateri ſcelus, quia dominum eius percuſſerat. Sed Regem Garamantum ducenti canes ab exilio reduxerunt prœliantes, contra reſiſtentes. Et populi fuerunt qui cohortes canum habuerunt, & erant fideliſſima auxilia. Canis etiam quidam poſt mortem domini inedia cōſumptus eſt, quidā deiecit ſe in rogum domini. Quidam

*dam & lacerauit ſe oblaſciuiorem iocum* Regis *cum uxore. Inuentus eſt canis qui detulit cibum defuncto domino. Quare ſolus canis dominum uere nouit, & amat. Vidimus etiam canem domino parere hactenus ſatisfecerit illi, neque propter voluptatem gulæ peperciſſe defatigationi. Adeo, ut plerumque ferarum ictu ſectus eſt & mortuus. Sin autem euaſerit ſenio confectus pelitur e ſtabulo etiam in quo natus atque eductus eſt. Moritur tandem poſtremo miſerrimus.* Heu *quod miſera eſt ſors & canis, cum incidit indiſcrimen vitæ.*

De Priſcis *amantibus canum.*

ERIGONE *Canem habuit, quæ inuenit cadauer eius patris, quia ab agreſtibus interfectus fuerat.* Delitiæ Publij *Catellafuit* Hercules *una cum domino peremit canem qui Gerionis* Tricorporis *ſeruabat armenta.* Canis Xantipi *cum ſe re non poſſet, & abſentiam, & deſiderium domini peregre nauigantis, in mare deſilijt, eiusque nauem in Salaminem vſque natando ſequutus eſt. Sed vbi canis periſſet, in memoriam facti ſepulcrum meruiſſe.* Fert autem Plin. *quod* Rex Albaniæ Alexandro *dederat dono canem inſolitæ magnitudinis, qui cum iaceret, immobilis in vrſos, lupos, & damas. Iuſſit ut ignauus interficeretur. Quod cum percepiſſet* Rex, *miſit alterum canem, addens mandata, ne in alijs, quam in* Leone, & Elephante *illum experiri uellet, quoniam hoc perempto nullum alium ſuperesſe ſignificabat. Quod nec diſtulit* Alex. *quare nullo magis lætatus eſt ſpectaculo donec aſſidua rotatos vertigine afflixit ad caſum eius tellure concuſſa. Et* Codrus Poeta Chi-

ronem canem amauit. Atque adoleſcens ſpectatæ virtutis, inter Danaos habuit canem horrēdæ acerbitatis. Quæ ſola plerumq; bis ſenos peremit viros. Attali etiam canes uaſto oris rictu oblatum cibum glutiebant. Et Vlixes habuit canem, qui poſt vigeſimum annum dominum cognouit. Sed fertur quod Acteon plurimos canes habuerit a quibus et conſumptus eſt.

De Neotericis amantibus canis.

QVAMPLVRIMI Comperiantur Acteones, iã conſtitit & futuris nepotibus. Quia nullus eſt de Principibus, quem acrius non lacerant canes, q̃ neceſſaria pietas egentium, neque oportet fere quod vulgo notum eſt, nec dicimus hoc ut exprobremus, uerum quia venari nemo poteſt abſque canibus. Itaq; quot ſunt modo in vniuerſo principes, tot ſunt & canis amantes. Præterea nouimus & quoſdam Milites præſtantiſſimos captos amore canis adeo, ut neque in militiam proficiſcuntur remoto ſocio cane. Nouimus etiam Iohannem Andream eximium Phiſicum ciuem Pinnæ virentis, qui nunquam ad valetudinarios accedebat in comitatus cane. Eſt namque maximus venator ille, & ſi non utitur menta, qua plurimum vſus eſt.

De conceptu canis, & fœtura.

PRAETER Dicta, plura ſunt genera canis, & ex his ſunt qui cupiunt fœminis admiſceri, & hos retulit Ariſt. eſſe Laconicos. Tamen ſi volueris cognoſcere quo tempore incipiunt laſciuire attentius proſpicies cum erigunt crus poſternũ ad mingentes parietibus. & impletur canis una admixtione.

*quod farticia admixtio perhibet.* Gerit *autem vtero quidam menſibus duobus adiecto die uel duobus. Quidam diebus ſeptuaginta duobus, quidam tribus menſibus. Sed priorum catelli ante duodecimum diem non aperiunt oculos videntes, quoniam cæci egrediuntur. Secundorũ etiam catelli diebus duodecim ſunt orbi. Poſtremorum uero fœtus, carent luce diebus decem & ſeptem.* Ariſt. *vi. de natura* Animalium. *Stimulo autem veneris agitantur ſeptem diebus poſt motũ menſiũ.* Tamen *nonullæ pruritant ad ſextumdecimum. Sed patiuntur maximam venerem bisſeptem diebus poſt motũ menſium, & fœtura, in quibuſdam ab uno aſcendit ad fœtum duodecimum.* Canes *coeunt hactenus viuunt.* Verum *præſtantiores in hoc fert* Ariſt. *eſſe* Laconicos, *nunc autem nos dicimus* Italicos. *& vita canis producitur ad decimum annũ.* Fœmina *tamen viuacior eſt, quia aſcendit annum duodecimum, atque hoc eſt peculiare* Laconicis. Q*uoniam cæteri canes aſcendũt et quartumdecimum annũ, quidam protrahunt vitam ad vigeſimum. & canibus dentes tantum canini decidunt reliqui ſtabiles ſunt q̃uis plerique aiunt, & alios mutari, & iuuenibus tantum ſunt candidi dentes, ſenioribus nigri propter imbecillitatem naturæ.*

### De *vario genere canis, & admixtione.*

EX Xenoph. *Canum duo ſunt genera.* H*æ* C*aſtoriæ ſunt, illæ uero vulpinæ, et caſtoriæ quidẽ cognomẽ habent quod eas* C*aſtor re ipſa delectatus præcipue obſeruauit.* V*ulpinæ quidem ex canibus natæ ſunt & vulpibus, quarũ natura ſpatio tem-*

poris confuſa eſt. Atque indi uolunt, ꝙ canes concipiant e Tigribus. Propterea nectentes in ſyluis fœminas dimittunt maxime cum ſentiunt venerem ac concipiũt laſciuiam. Inquit autem Pli. quod putant primo, & ſecundo fœtu gingi nimis feroces, ideo educunt tertio. Hoc idem e Lupis Galli, quorum greges ſuum quiſq; ductorem e canibus & ducem habent, illum in venatu comitantur illiq; parent. Namq; inter ſe exercent magiſteria. Sed canes quæ appetunt admixtionem ſigna ferunt ut homines quoniam earum vbera turgent, & glutem quoddam in pectore, quod eſt cognitu difficillimum. Arbitramur autem magiſtris earũ eſſe notiſſimum. In mare vero ſignum eſt erectio cruris quod non vidimus niſi poſt centeſimum, & octogeſimum diem, a die natalicio.

De cane admiſſario.

NOSTRIS Temporibus canis nec admiſcetur Vulpibus, Lupis, ſiue Tigribus, nec laudatur talis admixtio. Quoniam tanta doloſitate, vel aſtutia, ſeu feritate non egemus. Ideo pares iungendæ ſunt paribus, quia ex hac mixtione proueniunt venatores optimi, fideles, ac peruigiles cuſtodes, & acerrimi defenſores dominorum. Paruuli etiam fiunt maxime delitioſi. Sed qui primi laſciuiunt hi ſunt admittẽdi ut iungãtur canibus omnino. Verum curandum eſt ut canis admiſſarius ſit hylaris vultu, maxima fronte magniſq; ac rectis auribus, ore magno, quo maximas feras laniauerit naribus emittens ſpiritum inſtar ignis. Ilia arcta poſſidens, latus longum geſtans collo pilos ut ordine quodam diſcretos, verum ſit illi cauda breuis,

*quia talis laudatur. Pectus validum, & magni motus. Brumam patiens lætiſſime haud aliter ſufferens, & hyemem.*

De viliſſimo cane.

CANIS *Qui mollis eſt in quouis officio viliſſimus eſt, præcipue ſi mollia poſſidet crura. Si longipes, ſi recuſat laborem. Fœmina vero quæ errat itidem vilis eſt. Et quæ non latitat in ſtabulis vno marito contenta, damnatur. & quæ longam admixtionem patitur mala eſt. & quæ poſt primos amplexus ſecundos putat eſſe dulciſſimos. Dicendum eſt, quod hæc diffundit furorem ſuum in venereis. Quare canis adultera ut male vtero gerens exercenda eſt.*

De catulis eligendis.

CVM *Quis catulum optimum cupit eligere. Proſpiciat inter cæteros fratres. Qui errere nititur artubus parentis. Quique pellit alios, ut ſolus regnum poſſeſſurus, totum itaque tenet aluū, murmure quodam in fratres indignando. Poſtmodum ſi gaudet inceſſu quodam aggrediens reliquos, ut inertes. Is vtique eligendus eſt futurus præſtantiſſimus. Is etenim erit docibilis, is diliget dominum ſuum, is uigilando & hoſpitium cuſtodiet. Is & in tenebris nocentes aggredi non timebit, is erit ſagaciſſimus. Is & ſenſibus præſtantiſſimus, is proprij nominis memor erit, is & cognoſcet & diliget dominum, & pro eo nō ſpernet mortem. Canis namque tribus excellit bruta animalia, ſeruitute amore, & recognitione.*

De catulis alendis.

CATVLI *Lacte ſiue maza, uel aqua lactis alendi ſunt quo-*

niam hoc & pingues efficit & maxime nutrit illos. Ideo nullum aliud alimentum offeratur, quia laxus victus, ſolet eſſe maximi damni. Verum adulti ſiccis ueſcantur edulibus pane videlicet, & oſſibus, & hoc fiat digeſtis horis, ut concoctio celebretur, & potius fameſcant paulului, ꝙ non exactis horis paſcentur. Sit illis vnus & magiſter, qui eorum cuncta miniſtret, temperet, & imperet illis, qui in ſyluis etiam eſt illos domiturus.

### De catulis erudiendis.

CANVM Soboles domitores hoc ferme modo erudiunt, ut obſequentem delinimento aliquo demulceant, reluctantem uero virga compellant. & canes ſi excidantur ceſſant a relinquendis heris. Sed ad cuſtodiam, & ad uenationem nihilo ſunt deteriores.

### De moribus canis.

DE Moribus etiam canis, eſt aliud dicendum. Intereſt namq; homini mores canis cognoſcere domino, videlicet, & inſidias tentanti, & amicis adeuntibus, atque a uillatico inchoantes. Laudamus ſeuitiem villatici, & adeuntibus moſtrantem roſtrum iracundum. Hirſutis contractisq; pilis & labris cum uoce rodenti ſtantem, & corpus ingyrum colligentem altero oculo uigilantẽ, altero aũt dormientem. Sed qui leuiſſimũ propter motum expergiſcitur maxime laudatur, præcipue dum auribus, & cauda fauet domino, ſupponens caput manibus domini, & dorſalia, ſic, namq; & mitior & blandior efficitur, & in cuſtodia uiuatior. Trux tamen ſemper inſidianti-

*bus comprendatur. Familiaribus etiam domini videatur terribilis atq; timendus. Canis vero deſenſorius horridus ſit, ſemperq; ut præliaturum oportet apparere, omnibusq; ſit inimicus præter dominum. Nec tangi permittatur etiam a familiaribus, rectis tamen ſeruet oculis dominum, atque aſpiret in omnes morſu, tamq; in hoſtes. Itaque horrorem potius intuentibus q̄ mollitiem oſtentet. Canem autem paſtoralem oportet ludere tantum cum paſtore, & gregem cuius eſt cuſtos optime noſcere, inſidioſasq; feras perſequi, quod, dum illi natura fuerit inſitum dicetur optimus canis. Venaticus etiam canis, dum parit domino timore quodam, neque recedit ab illo, ut diſciplinatus, quinimo expectatione cruciatur, donec ad per agendi licentiam mittatur ſigno, cōprehēnſamq; feram dum ſeruat, ſiue eam deſert valde laudandus eſt, & canis odorus quanto ſuerit magis ſollicitus in inueſtigandis feris tanto magis laudabitur, præcipue dum ſeruat inuentam feram ad accurſum domini. Canis delicioſus cum ſalit circumquaq; latraculans, mordicansq; abſque morſu, carus ſit domino, præſertim ſi mundus diſcumbit, nec quicq̄ tangit, niſi oblatum fuerit, ſeruit etiam erectis anternis pedibus, deferens aliquid roſtro moticulans pedibus ut brachijs, dormiens quoq; nitidus in ſtrato domini, lābens quædam iucunda tactu, quod eſt præcipuum quibuſdam Matronis & laſciuis mulieribus. Sodalis autem canis perſeuerando laudatur, & per continuam aſſiſtentiam probatur bonus ſodalis, ita ut nullo vnq̄ parcat labori, donec non peruenerit cum domino ad conſtitutum terminum, maxime cum offirma-*

tur ubi dominus firmatur. Sed canis inutilis mores etiam ſunt inutiles, ideo proprietates eius prætermittimus. Verum ad fideles deſcendentes, canem dicimus tum probatiſſimum eſſe cū maximis uerberibus fuerit conflictus penitus, non tamen fugit, ille quinimo repulſus q̃ citiſſime uertitur ad dominū, ut ueniam poſtulans cum tamen ille nil commiſerit.

De catulo Indo.

IN Terra Indorum haud prope mare inuenitur canis qui ſemper poteſt uocari catulus. Isq; domeſticus eſt canis colore maculoſe linci perſimilis. Piloſus itaq; reperitur, ac depilis, ut tonſus. Nec tamen latrat, nec gemere ſcit, aut ſuſpirare, ut retulit nobis Hiſpanus quidam qui maximam partē Indiæ perrauit. Itaq; nullam emittit vocem, cum etiam necatur. & compar uidetur fœturæ Lupi. Edit autem ac bibit, ut alius canis, eſtq; paulo minus mitior Italo cane quibus eſt domeſticus, mouet tantum caudam geſtiens, & ſaliens quod eſt inditium amoris in dominum.

De nautico cane.

NAVIGANTES Etiam in nauibus uehunt canem, qui tum nauis & rudentum, cum etiam mertium eſt cuſtos. Verum is eligitur corpore maximo, terribili latratu, ut eſt canis Crouaticus, pilis compar lupo, & magnitudine. Habet enim atrocem & aſpectum.

De præſtantiſſimis, maximis ac fortiſſimis canibus Priſcorum.

OMNIS Regio, quæ colitur ab hominibus, & nutrit pro-

prios

prios canes, & amat. Itaque in India ſunt præſtantiſſimi canes inquit Strab. qui non ante morſum dimittūt, q̃ aqua naribus infundatur; nonullos pro ſtudio in morſu oculos diſtorqueri nonullis etiam excidere. Leonem & Taurum acerrime detineri, ex tribus etiam animalibus quæ adorãt Aegyptij vnus eſt canis. Verum cum aſpiratione chanes eſt flumen in Aragum amnen a Caucaſo fluens. Sed apud Indos in terra Sophiti canes optimas narrant. Ferunt & Alex. centum & quinquaginta canes a Sophite accepiſſe, vt periculum faceret inquit Strab. Duos Leoni amiſiſſe, quorũ vllum tenentibus, alios duos ſoluiſſe, qui cum iam in certamine conſiſterent. Sophites iuſſit, vt unus ex canibus crure aprehenſus abſtraheretur a morſu. & niſi obtemperaret crus amputaretur. Quod Alex. primo non cõceſſit, cani videlicet, parcens. At cum Sophites diceret ſe quatuor pro uno daturum, conceſſit. Canis uero prius ſibi crus incidi profundo vulnere paſſus eſt, q̃ morſum dimitteret. Sed canem alere in Delo neſas erat docet idem Strab. x. operis.

## De antiquis locis vberrimis canibus.

EPIRVS Et Moloſſia abundabant optimis canibus, & Vmbriæ canes olim laudabantur. Ex fortunatis Canaria Inſula ſubierat nomen a copia ingentium canum. Erant olim in precio caniculi qui naſcebantur in inſula melita, quæ iacet in ſinu Adriatico haud procul a Raguſio ciuitate, etenim delitiæ mulierum. Nunc vero miſera eſt inſula, quia colunt eam piſcatores tantum, Quaq; inopia pollentes. Ceſſit itaque ada-

*gium & caniculorum copia in dictis locis.*

De Neotericis *canis exemplis.*

MARIVS *Cæſarinus e patricio genere.* R.*uenator acerrimus, dum peteret uenatum æqueſtris cane comitatus uenatico. Incidit in præruptam foueam, quod perſpiciens canis creberrimis vlulatibus circum latrabat foueam, quod audientes & videntes quidam agreſtes, aduenerunt & deſpicientes in profundum, cognouerunt hominem atque extraxerunt.* Relicto *mortuo* Equo. Q*uantum ergo* Marius *canem diligebat, tanto canis & uehementius amabat dominum.* Verum *hoc uenatoribus recenſendum omittimus.* Q*uia inedia conſumptus fuiſſet vitam in fouea* Marius *ni caſum prodidiſſet canis.* Tamen *poſt circuitum anni uix completum, incidit in febrem eodem die quo ceciderat in foueam, itaque conſumptus febre obijt diem* Marius.

Exemplum *de puero, & cane.*

BONONIAE *Etiam puer quidam, parentum vnica ſpes adamauerat catulum quo ſemper comitatus errabat.* Verum *ut ſummo placuit cœlicolarum, in cela uinaria ſe ipſum laqueo ſuſpendit, quod intuens catulus, conſtitit ut perterritus.* De*mum poſt paululum temporis conſpiciens immobilem puerũ concurrit ad parentes iam miſerrimos latraculans, ut ſuſpenſi nuncius.* R*ecurrensq́ deorſum, ac ſurſum curſitans ſemper latratu replens aera, nec conqueri deſeſſus etiam conticere poterat.* Q*uod mirantes iam orbi parentes moti potius canis pietate quam caſu filij.* Q*uoniam ignari, ſequuti ſunt catulum, tanquam*

*uocantem ad filij inſperatam mortem, quare ubi ſuſpenſum reperierunt filium præ dolore ambo obſtupuere, & ſpiritum querentem exitum uix detinuerunt. Itaque miſerrimi ſubierunt titulum orbitatis, & catulum filij loco dilexerunt per ſpatium temporis.*

Exemplum de mercatore & cane.

ACCIDIT Et in Gallia, cum duo mercatores proficiſcerentur ad nundinas mercium transferendarum gratia. Quorum alter fideli ſocio cane comitabatur. Verum alterum urgens auri fames neſanda, ſtudebat quo dolo poſſet opprimere ſotiū. Demum cum equitarent ꝑ quandam ſolitudinem, nequam, peremit comitem ſtricto mucrone, imaꝗ tellure illum condidit. Itaꝗ canis perempto domino, ut ſautius, memora & ſaltus illos turbabat latratibus. quod, proximi Acole uidentes admirabantur, demum pietate moti, canem quaſi conſumptum inedia ceperunt paſcere ducētes in hoſpitium. Qui cum refectus eſſet admodum, eundem redibat ad locum in quo cadauer domini reconditum iacebat. Propterea ſeruatus eſt canis a prudentioribus ad reditum mercatorum. Sed cum occurreret auarus peremptor. Canis concitatus eſt in illū vt in proprium hoſtem. Prodens illum & homicidam eſſe, & ſuæ calamitatis cauſam. Qui cum comprehenſus eſſet coram iudice expoſuit neſandum offitium ſuum. Quare ſuſpenſus laqueo, turpiſſimo fine pro ſcelere dedit pœnas.

Exemplum de amante & cane.

EQVIDEM Cum quid in rebus humanis neque conſiliū,

neque uerũ modũ habet illud nemo conſilio regere poteſt, quare cum quis officiũ amantis certa ratione efficere ſtudet, illud idem facit, quod, qui dat operã, ut cũ ratione fiat inſanus. Memini etenim in Gallia haud procul a Pariſijs egregiũ adoleſcẽtem uenuſtiſſimam mulierem adamaſſe extra autem proprios lares. Itaq; cum accederet, ut fructum laboris caperet, comitatus tum ſocio iuuene cum comite fideli cane, in medio nemoris ab eodem ſocio gladio traiectus obijt diem. Occeptus enim, & is erat amore Mulieris, quam, aliter poſſidere non poterat niſi poſt mortẽ amantis. Canis autẽ genere Britanus diu locũ ſeruauit in quo dominus erat abſconditus. Cumq; ex familia quidam perquirerent adoleſcentem reperierunt canem tantum comitẽ fidelem ſepulcrum domini ſeruantẽ, quod, haud facile cognoſcebatur ſepulcrũ eſſe, quoniã tumulus terræ fuerat. Verum obitus amantis ſocius profitebatur ignorantiam. Tamen dum canis perſpiceret infidum ſocium tanq̃ in proprium hoſtem irruebat. Quod dum viderent plurimi familiariũ rectoribus Vrbis rem expoſuerunt, a quibus infidus ille cum aduocatus eſſet, & rogatus, quid hoc ſibi vellet, negauit, poſſe cognoſcere. Illi uero, haud aliter tibi q̃ domino blandiebatur canis, domino ſaperſtite, nunc autem grauiter inſidiatur, ut patroni in peremptorem. Propterea quid hoc ſibi uelit rogamus exponas. Ille uero nil contra. Ideo patres conſtituerunt ut is in duello cum cane duellaret, quod, cum fugere non poſſet, conſtituit cum cane eſſe duellator. Demum conuenerunt, prætextus canis pelle cocta, ille uero mucrone ſtricto, leui tantum

*lineo tegmine tectus exijt induellum, quod præſtantius fue-rat uitaſſe.* Tamen quia Val. Max. *Leui pede diuina profi-ciſcitur ira tarditatemq; ſupplicij grauitate compenſat. Is nam que a feroci* Britano *agreſſus eſt cum præliari ceperunt atque aprehendens gulam morſu ſceleſtem proſtrauit. Tum neq; ille, vociferans ait, Miſeremini patres, et canem diuellite pre-cor* Britanum, *quia vobis fatebor vera, quod factum eſt, ſine mora.* Ille *autem occiſor poſtq; expoſuit rem ex ordine, ſuum ſcelus morte propria redemit. Quare non ſunt facienda mala, quoniam & canes nonunq; noſtrorum ſcelerum ſunt prodi-tores, quia dominorum ſunt fideliſſimi amantes.*

De *cane pontani.*

CANIS Pontani *horrebat carnes gallinæ. Quoties. n. pon-tanus carnes oſtendebat gallinaceas toties canis fugiebat.* Per *cepimus autem quod canes, vulgo, ſturnum horrent.*

Epit. Can*is* Lyd*iæ.* Martial*is* Lib. *xi.*

A*mphitheatrales inter nutrita magiſtros*
V*enatrix ſyluis aſpera, blanda domi.*
L*ydia dicebat domino fidiſſima dextra*
Q*ui non* Erig*ones mallet habere canem*
N*ec qui dictæa* Cephal*um de gente ſecutus*
L*uciferæ pariter venit ad aſtra deæ*
N*on me longa dies, nec inutilis abſtulit ætas*
Q*ualia* Dulich*io ſata ſuere cani,*
F*ulmineo ſpumantis apri, ſum dente perempta*
Q*uantus erat* Calyd*on, aut* Erym*ante tuus*

*Nec queror infernas quamuis cito rapta ſub vmbras*
*Non potui fato nobiliore mori.*

Romæ

*Corporis exiguos cura dum cogor in artus*
*Subducto matris lacte, miſer perij*
*Ne tamen & fati nomen, vis aſpera tollat*
*Leucippi cineres hæc canis vrna tegit.*

Franciſci Molſij.

*Vrnam qui vetulæ vides catellæ*
*concretæ teneros breuesq; in artus*
*mitis ne renuas fauere linguæ,*
*nam qui me exiguo Sole recondit*
*exemplum eſt Iouis optimi ſecutus*
*quo dante Erigones polo refulget*
*ob ſummum catulus decus fideinq;.*

*De moribus Priſcorum in catulis ex Pli.*

EADEM *De cauſa ſupplicia annua canes pēdunt inter ædē iuuentutis, & ſummanij uini in furcas ſambucea arbore fixi. Sed de hoc animali dici cogunt Priſcorum mores. Catulos lactantes adeo puros exiſtimabant ad cibum, ut etiam placandis numinibus hoſtiarum uice uterentur ijs, genito mane catulo res diuina fit, et in cœnis deorū etiā ponitur catulina adijcialibus quidē epulis celebrē fuiſſe Plauti fabulæ ſunt inditio.*

*De antiquo vaticinio ex cane.*

SOLVS *Thraſilus canum extis vaticinabatur, quod ex eius ſimulacro in Olympia exiſtente colligitur ad cuius humerum*

*dextrum obrepit muſtelus & canis hoſtiâ biſariam ſectus, Ie curq; oſtendens iuxta ipſum iacet.*

*De ſacrificio canis Priſcorum.*

*Lacedemoniorum ephebi inituri pugnam inter ſe Marti catulum immolabant canis. Nullos autem Græcorum nouimus qui catulos caninos ſacrificarent præter Colophonios, qui nocturno tempore catellam nigram triuiæ ſacrificabant.*

*De cane Agricolæ Palamedis.*

*Legitur q; Palamedis Agricola habebat canem qui arte quadam blandiens hominibus inſidiabatur huncq; Vlixem appellabat. & cauſa Palamedis hic Vlixes cedebatur plurima exaudiens mala.*

*De cane quod fabulatur.*

*Fuit & Teumeſſia Vulpes Dionyſij ira in Thebanos educata, quã cum canis a Diana procridi datus capturus eſſet in lapidẽ vterq; mutatus eſſe fabulatur.*

*De canibus ex Solino.*

ALBANORVM *Canes nati feris omnibus obijciuntur frangunt Tauros Leones periment, Detinent quicquid obiectum eſt dominos æqualiter canes omnes diligunt, ſicut exemplis factum eſt palam. In Epiro deniq; domini percuſſorem in cœtu agnitum latratu canis prodidit. Iaſolitio interfecto canis ipſius aſpernatus cibum inedia obijt, Liſimachi Regis canis flammis ſe iniecit accenſo domini rogo. & pariter igni abſumptus eſt, & Garamantum. R. ducenti canes ab exilio reduxerunt, præliati aduerſus reſiſtentes, Colophonij, & ca-*

ſtabilenſes canibus in bella productis prima ſacies inſtruebant Appio Iunio. Pub. Sicinio conſ. damnatum dominum, canis cum abigi non poſſet, comitatus in carcerem, mox percuſſum vlulatu proſecutus eſt. Cumq; ex miſeratione populi Ro. poteſtas ei cibi fieret, ad os defuncti eſcam tulit, vltimo deiectum in Tyberim cadauer adnatans ſuſtentare conatus eſt canes nomina ſua cognoſcunt. Itinerum meminerunt. Indi coitus tempore in ſaltibus canes fœminas religant. ut cum his tygres coëant. Quarum ex primis conceptibus ob nimiam feritatem inutiles partus indicant. Itidem ſecundos, tertios educūt Aegyptij canes. E nilo nunq̄ niſi currentes lambitant dum a Crocodilis inſidias cauent.

De canibus ex Artemidoro.

IN ſomnis Canes uenatici ad uenationem exeuntes omnibus boni ſunt, & actionum prænuncij. Verum reis & in ius uocatis, mali, & inſerius. Canes alij ſunt qui ad uenationē educantur & ex ijs alij ſunt ueſtigatores, alij feras perſecuntur & capiunt, alij ad poſſeſſionum cuſtodiam habentur, quos domus cuſtodes, & vinctos appellamus, alij ad delitias qui melitæi vocantur. Qui igitur ad venationem aluntur, ea quæ foris comparantur bona ſignificant, & actiones, quare bonū eſt ipſos uidere uenantes, & inſerius, cuſtodes domus canes vxores, & famulos, et queſitas poſſeſſiones ſignificant. Aſperi uero aut latrantes iniurias perſonis præſagiunt, & magna damna; alieni canes blandientes dolos, & inſidias nunciant, & pleraq; alia ut patet apud eundem.

De cane

De cane Marchionis Mantuæ.

FRANCISCVS Marchio Mantuæ parens Phederici Ducis comprehenſam vocem habens, morbi deffectu, inſtruxerat canem, vt vocaret quem volebat ex curialibus, is tandem vtebatur cane, in aduocandis hominibus quos præcipue deſideraſſet, quemadmodum quis vtitur officio optimi ſerui.

De canibus Venetorum.

Venetijs autem canes ſibilo noſcunt proprium dominum, vt rationalia eſſent animalia. Accidit Venetijs etiam quod canis in medio fori poſt triennium agnouit ſuum dominum Donatum Bardum Florentinum.

R. Inſcriptio.

ΦΡΑΤΙΛΛΑΙ ΚΥΝΙΔΙΩ ΓΛΥΚΥΤΑΤΩ
ΦΕΔΕΡΙΚΟΣ ΓΟΝΖΑΓΑ Β. ΜΝΕΙ-
ΑΣ ΧΑΡΙΝ.

Phratillæ Catellæ dulciſſimæ Phedericus Gonzaga II. memoriæ gratia.

## TRACTATVS II.

### De Vulneribus Canis.

VT CAETERA *Animantia, ita & canis ictu percuſſus plerumq; ſecatur magnoq; nõunq̃ inficitur vulnere, quare & ſi ſectio hæc poteſt curari ſecũdum* Methodum, *tamen præcipimus, vt maxime hoc ordine curetur, dum vis vt vulnus canis optime ſanetur, cum ora vulneris alti diſtant nimium et iam viſcera cum fibris cadunt exterius, quod occaſum minatur, tum collectis viſceribus repones & fibras, & cruda labra recludes tenui filo, & detractis pilis illius qui intulit vulnus ſuperpones, ſeu, ut inquit* Maximus *venator, ſuperſparges viroſam eluuiem donec effuſio ſanguinis fuerit compreſſa, poſtmodum dimittas lambẽdum cani. Quoniã natura dotauit canẽ, et eius linguã, ut ſectis partibus mederetur, quod eſt notiſſimum, breui etenim ſpatio canis, vulnus latiſſimum, hoc modo ſolidatum vidimus.* V*erum ſi vulneris, os fuerit anguſtum, ferro pandenda eſt via, ut effluat quod poſſet eſſe mortis, cauſa hoc etiam vulnus canis lambẽdo curat, quod ſi illud lingua canis attingere non poteſt, poterit ſaltem mederi vulnus medicamentis, quibus & corpus humanum medetur, de quibus vberius ſcripſimus in libr. de par-*

*tibus ictu ſectis. Cum autem vulnus fuerit ſimplex dimittas illud medendum cani, quia ſuccus natalis ſaliuæ eſt maximũ medicamentum vulnerum canis, ſiue ſuperſparges vulneri cinerẽ capitis canis, quia maxime prodeſt, ſiue ſal tenuis terreſactus cum pice liquida imponatur.*

De cura ex morſu feræ.

*Accidit etiam ꝙ in conflictibus canes, feræ inficiant morſu graui, vidimus tandem roſtrum canis magis turgidum toto capite, fera etenim illum morderat, hunc autem curauimus euocando imprimis ſanguinem ex loco cũ inciſione. Sic.n.euocatur aconitum illud, demum oleo ypericonis ſuper illinentes citiſſime canem liberauimus morte qui prius ꝙ curaretur, ut tranſiugulatus iacebat.*

De vulceribus canis.

*Quoniam & de ulceribus alibi lucidius ideo quod pertinet tantum ad vlcus canis dicemus. Verum enimuero ſciendum eſt, quod in brutis etiam fit vlcus ex humoribus, ex vulneribus, & tumoribus, ac etiam puſtulis. Itaq; fit vlcus propter decurſum prauorum ſuccorum maxime rodentium, huic tamen medetur quodq; coroſiuum et ipſa lingua canis. Accidit etiam in poſternis cruribus, quod innaſcantur uermes, ut igitur interficias illos præter vnguentum apoſtolorum, ſiue Aegyptiacũ ceratum. Iniicies ulceri ſuccum frondium Perſici, quoniã mortui confeſtim exhibũt, demũ dimittes cætera ſaliuæ canis, quia ſic quodq; putridum ulcus, & vermiculoſum curatur, quamuis quidam conſueuerunt, & ſale illud ſpargere et dulci oli-*

no ſanari. Cum uero hæc non profuerint, currẽdum eſt ad ea quibus humanorum corporum ſanantur ulcera, quamuis urina quoq; calcata rabioſi canis noceat maxime vlcus habẽtibus.

De rabie canis.

Rabies eſt morbus canis, ſed rabies eſt ira accenſa non differẽs a ſurore, & accenditur is morbus in uenis prope cor ipſum. Et huius morbi ſignum eſt, quod canis agitur per ſe & currit errando ut ſurore correptus. vt igitur is morbus comprimatur ſtudendum eſt quieti & ſomno canis. Subducendus & cibus, & liquida tantum ac ſorbilia offerenda ſunt, neq; talia etiam ad ſaturitatem, quoniam laudabilius eſt incumbere uentris lubricitati, negando oſſa & ſanguinem gignentia bilioſum, & poſt tertium diem venæ turgentes tam in lateribus, q̃ in cruribus etiam ſecandæ ſunt, ſiue proijciendus eſt in lacum in quo fuerit yrudinum copia, ut multũ ſanguinis poſſint ſugere. Poſt hoc caput & corpus uniuerſum oleo roſaceo emphacino, ſiue unguento populeonis illinendum eſt. Per os etiam dum oportuerit medicamen inijciendum eſt, quod ipſam bilem educat. Poſt hoc dilues illum lauacro elixationis lapatij acuti, rad. enulæ & ſumiterræ, quoniã multum proficies. Cum uero canis iuuenculus patitur rabiem hortamur cani admittatur maſculus fœminæ, & fœmina maſculo, quoniam ſic educi ſolet rabies. Nunc autem ad experimenta Plinij, & plurimorum deſcendimus, ut penitus rabies comprimatur canis. In canis rabidi morſu inquit, Pli. tuetur a pauore aquæ, et puluis capitis canis auſtus cum aliquo ſorbilium oppugnat ra-

biem. Quidam & in cibum offerunt illud. Alij uero adalligauerunt uermē extractum e cadauere canino. Præterea Pli. eſt limus ſaliuæ ſub lingua rabioſi canis qui datus in potu, fieri Hydrophonos non patitur. Eſt etiam uermiculus in lingua canum qui vocatur a Grecis lytra, quo exempto infantibus catulis, nec rabidi fiunt, nec faſtidium ſentiunt. Idem ter igni circūlatus datur morſis a rabioſo, ne rabioſi fiant. Saliuntur et carnes eorū qui rabidi fuerūt ad eadē remedia in cibo dandæ.

De ſcabie canis.

Scabies eſt morbus contagioſus quoniam pleruncp ex tactu ſuſcipitur cum autem per ſe ſpirat. Sciendum eſt quod illum produxit uſtior bilis quamuis & ſalſa pituita, eiuſdem causa ſolet eſſe. Itacp cura, & abolitio huius infectionis proxima eſt curæ morbi prædicti, quamuis hunc affectum quandocp comprimunt quædam leuiora, ut ſunt iuſcula elixationis fumiterræ lapatij lupulorum, & boraginis, ſiue aqua lactis infuſionis dictorum. Proſunt & lauacra ex liſciuio ex mare, ex garo temperato & aqua fabrorum ferrariorum in quo ferrum extinguunt ardentem, ſiue lotium elixationis fumiterræ rad. enulæ, & lapatij. Tamen ſubducitur & ſanguis nonunꝙ, verum moderatius. Hæc tamen omnia fiunt cum ſuccum bilioſum ſubduxeris aliquo ex pellentibus eum. De linimentis ſcripſimus alibi ad quæ alta ingenia facile current cū opus fuerit.

De torminibus uentris canis.

Ventris tormina etiam cum frigidis ex cauſis oriuntur calidis iuſculis, & potibus piperatis uincūtur, oleis etiam uel aliquo ex

pinguibus oblatis. Forinſecus autem laudamus quodq; linimẽtum calidæ uirtutis, ut eſt oleum lilaceum, rutaceum, nardinum, & laurinum, ceratum dialteæ, Marciatonis, uel Agripæ, & cineratis panis dum circũuoluitur curari poterit in frigidis affectibus. Tum etiam ſi per os euomuerit ſuccum e uentriculo, curatur, neglectis præſidijs omnibus. Vana itaq; erũt præſidia ſi uirtus valida fuerit ad expellendum nocua.

### De vomitu canis.

Quod eſt naturale cani non eſt curandum, ut eſt vomitus. Spõtinus.n. ſolet eſſe, verum ne illud horrẽdum perſpiciamus paſcẽdum eſſe hortamur partius, craſſa negando quoniam ſic raro eijciet cibum, nec redibit ad illum, quod maximum uitium putamus canis eſſe.

### De faſcinatione canis.

Canis etiam vt & infantulus frequenter inficitur faſcino, Ita ut deueniat ad extremam maciem. Quorundam enim hominum oculi, adeo ligant, ut quem ligauerint non patiuntur liberum eſſe, quinimo, nec mentis compotem. Faſcinum autem dicimus eſſe genus incantationis, ut patet apud Virg. Neſcio quis oculus mihi faſcinat agnos. Morbus autem is oritur e ſpiritu faſcinantis. Sed faſcini eſt ingreſſus per oculos faſcinati ad ipſum cor vſq;. Propterea cauendum eſt ne catulus perſpiciatur ab inuidis hominibus donec adoleuerit. Quoniam hæc eſt maxima conſeruatio ſalutis eius, quia remotis quæ inficiunt ſaluberrimus ſeruatur. Pleriq; autem alij ex Coralo baccatum monile circundant collo. Quidam & ſacris herbis prætegunt, &

*cingunt frontem bachara. Horum tamen uſus eſt minus proficuus. Concluſio uerum prohibet faſcina, uelut ſarmentorum ignis.*

### *De propulſione morborum canis.*

*Optimi venatores ſtudent maxime rebus illis quibus optimi cuiuſq; canis ſeruatur ſanitas, ut poſſint venari cum libido inceſſerit. Propterea offeres nonunq̃ cani, ius, elixationis hederæ, quoniam ſi iſtud exhibueris ſaltem per ſeptem dies, ſeruabis canis ſinceritatem, quia & ouem paſtus hederæ ſeruat.*

### *De conſeruatione canis.*

*Experimento probatum eſt in præſeruatione canis a peſtilentia, Vt puluis uentriculi Ciconiæ, ſolutus in aqua, inq; os apertum deiectumq; canis, a peſtilentia ſeruat illum. Idem etiam facit ius elixationis eiuſdem uentriculi, dum infuſum in os canis illud deglutiuerit, quia a peſtilenti morbo tuetur canẽ, ſiue trãſferes illum in aliam plagam, ne purus infectis permiſceatur. Namq; purus aer, & regio ſalubris ſeruat ſaluberrimum, & canem & dominum.*

### *De pediculis canis.*

*Et quoniam pediculis plurimis, ſolet infici canis, quibus torquetur non minus grauiſſimo morborum. Ideo hortamur ſtaſiſagriæ puluis ſuperſpargatur, ſiue totũ corpus lauetur calenti aqua elixationis radicum aceris contuſarum. Verum prodeſt, & radix cedri. Sed radix Mandragoræ eſt præſtantior. Curandum eſt autem ne quid horum, ſiue eorum elixationis deſcendat in os canis, quoniam non ſalubritatis quinimo eſſent*

*mortis cauſa. Tutior autem eſt ablutio elixationis radicum ciperi, quoniam omnes pediculos penitus necat.*

De laborioſo anhelitu canis.

Laborioſus *anhelitus, ſuccedit cani ab aere craſſo. Ideo ducendus eſt in locum aeris ſubtilioris. Cum vero ex hac mutatione non curatur, Tum aures eius ferro ſunt forandæ, quoniam ſic anhelitum recipiet faciliorem.*

De tuſſi canis.

Et *tuſſis nonunꝙ eſt de affectibus canis.* Maximum *uenationis impedimentum & cuſtodiæ indigentis taciturnitate. Ideo ut paſtores oui tuſſienti per nares infundere conſueuerunt, ita, & cani iniicies, uini* Cyathos *duos ſiue paulo minus in quo dulces amigdalæ contuſæ, ac mundæ, fuerint ſolutæ, quoniam hoc tuſſim oppugnat canis.*

De placandis canibus.

Legitur *apud* Conſt. Cæſarem, *ꝙ cum uelis detinere canem, ut non fugiat illines illum butiro a capite vſqꝫ ad caudam.*

Vt canis ſequatur te.

Apud *eundem, ſi obtuleris cani olfaciendam ſecundam, alterius canis paniculo illigatam ſequetur te canis.*

De pulicibus necandis.

Pulices *animalia quippe omnibus animalibus moleſtiſſima.* Perdes, *ſi lauabis canem mare, ſiue muria, aut illines illum ciprino cum ueratro mixtis, necat etiam pulices elixatio cumini, & ſuccus vuæ acerbæ illitus uel ſuccus radicum cucumeris ſylueſtris ſolutus cum aqua occidit pulices. Securius eſt autem illinire*

*linire corpus amurca, detergit etenim ſcabiem.*

De verme Ricino canis.

Ricinus eſt vermis, qui canem acrius infeſtat. Propterea Varro, quidam nucibus Græcis in aqua tritis perungunt aures & inter digitos: quod muſcæ & ricini publice ſoleant (ſi hoc vnguine non ſis uſus) ea exulcerare.

De ornamento canis.

CONSVEVERANT Priſci, quos & Neoterici imitantur, cincundare collum canis, melio, ex corio firmo cum clauibus capitatis, appoſita pelle molli, ne duricies ferri noceat collo. Hoc quoq; faciebant, & fit etiam aduerſus beſtiarum impetus, uelut ſunt hyenæ & lupi. Nunc etiam catulis cingulum ſericũ collo apponunt cupreis campanulis circunſeptum. Sic namq; Matronæ plurimum afficiuntur. Dorſumq; prætegunt pannis diuerſicoloribus, ad frigoris impetum. Quod, maxime ſeruatur in cane leporario, quoniam frigus plurimum nocere ſolet cani, & pedibus adhibent calciamenta defenſoria offenſionum. Quo facilius illæſi curſum exercere poſſint. Turcæ etiam crinitam caudã inficiũt rubro colore, quod pulchriorem eq; ac gratiorem efficit canem.

De notandis quibuſdam.

NON Poſſumus etiam non mirari, in hac poſtrema parte, maximum & poſtremum amorem canis. Accidit enim noſtris temporibus in ciuitate Aſtenſi, q̃ quædam mulier, genere clara poſt miſſum ſpiritum ad æthereos talamos, ferebatur ad ſepulchrum, procedente funere, quod perſpiciens canis, agno-



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

*uit defunctam eſſe dominam. Facto demum impetu ſaliit ſuper cadauer ipſum, viſaque defuncta, præ dolore diſiectus eſt deſuper, ut ab aliqua ferarum laniatus; quoniam ſecum voluit mori. Sed maius etiam aduertite miraculum. Cum quidam canis, inſpexiſſet dominum, ſepulchro impoſitū iacere extinctum. Proiecit ſeipſum ſponte, deſuper, leuem ſpiritum effundens, ut qui uiuere nolebat amplius defuncto domino. Quanti igitur hæc ſunt æſtimanda, uos qui ſtudetis canibus poteritis recenſere quoniam moti veſtro amore hæc voluimus collegiſſe, ut quemadmodum canes ueſtros diligitis, ita & Blondum poſthac amare incipiatis. Amicus namque Blondus eſt oīum amantium, quia amauit, & amat. Amantū ergo decet amorem eſſe reciprocum.*

## MICHAELIS ANGELI BLONDI TRACTATVS III.

*De proprietatibus canis, & partium eius.*

POSTQVAM *Dei gratia perſoluimus omnē curam canis, quæ plurimos magis afficit quibuſuis affectibus familiarium. Accedimus iam ad eas proprietates, quibus natura dotauit canem, & ipſe Deus, cum partibus eius. Sed quoniam omne noſtrum opus ſit, & factum eſt*

primum ad honorem, & gloriam altiſſimi, demum ad hominis vtilitatem. Creauit etenim Deus hominem, ut prodeſſet homini. Ne igitur videamur, ſpernere naturæ mandata. Conſtituimus olim parere præceptis eius, itaq; legentes diuerſorũ ſcripta referemus canis facultates quibus humana fragilitas nõ unq̃ tutatur ab affectibus euenientibus caſu. Propterea uos omnes amicos rogamus, ut, una, Deum precemur, nobis omnibus concedat, tantũ vitæ ſaluberrimæ, quantũ exoluamus verum vitæ terminũ, remotis aduerſis caſibus, qui rumpunt naturæ conſtitutam ſeriem. Quo dotes exponamus quorundam operũ naturæ, eorumq; fruamur facultatibus, ut nobis lex præcepit eiuſdem naturæ.

Ad impetum canis.

ET Quoniam officit nonunq̃ homini præcipue rabioſus canis. Ideo in impetum eius oportuna arma ſumenda ſunt, non fuſtes aut iaculi ſiue ſtricti mucrones, quoniam illorũ rabies quandoq; non curat talia, ob cecitatem intellectus. Nam uidimus quoſdam rabioſos & vulnera ſuſcepiſſe, & verbera non curaſſe, quinimo contra omne genus armorum hominem laniaſſe. Ne igitur hoc accidat ulterius hortamur omnes deferant ſecum dentẽ canis quia repellit impetum eius ſi datur fides dignis Auctoribus. Nam Dioſ. Lib. ii. eidem animali dente qui caninus vocatur exempto, & in veſicula brachijs alligato ad inhibendos canum impetus vtuntur homines.

Ad occiſionem canis.

NONVNQVAM Præſtantius eſt occidere q̃ detine-

re canem,præcipue ignauum ſiue futurum rabioſum. Ideo exhibeatur cardus uarius in polenta additis oleo & aqua. Quia Dioſ. canes, sues, mureſq; occidit cardus uarius, ſi in polēta exhibeatur aqua & oleo additis, q̃uis & braſica ruſtica necat canes.

Ad morſum canis rabioſi.

CVM inſperato quis morſu canis rabioſi infectus fuerit. Inquit Dioſ. in canis rabioſi morſu, tueri a pauore aquæ creditur Iecur canis rabioſi momorderit. Toſtumq; id mandatur, præcipiunt. Nouimus etenim quod & Gal. in Libro de compoſitione, Med. ſcripſit, medicamen deuincens morſum canis. Verum nos propoſuimus tantum de partibus canis facultates feræ. Ideo omiſimus quæ Gal. Cæteriq; ſcripſerunt ad morſum canis. Tamen Aui. Sanguis canis rabidi ſecundū quod dicitur vulgariter confert morſui canis rabioſi. Nec miretur hoc qui cogitet lapidem, a cane morſum vſq; in prouerbium diſcordiæ veniſſe ait Pli.

Ad latratum.

ACCEPIMVS A quibusdam, quod cum quis latratum canis vult cohibere, ne illi ſit impedimento in quibusdam peragendis, quod maxime amantibus ad amantes accedentibus nocere ſolet & furibus nocturnis. Itaq; cor canis edat, quamuis dicunt quidam quod potatum præſtantius eſt. Ideo uſtū redigatur in puluerem & deglutiatur, quoniam latratum canis comprimet, quod furibus, et amantibus dimittimus credendū.

De pilis canis.

IN *Partibus ſectis ictu, humanis, ab impetu canis. Vulgo pili canis approbantur, quoniam a proprietate, appoſiti & ſanguinem glaciant, & ſectæ parti ſauent, ne fiat vlcus tabidum. Fiat autem hoc confeſtim poſt ictum.*

De cute canis.

*Legitur* ꝙ *pellis canina, cui uis digitorum circundata comprimit diſtillationes.*

De dente canis.

SI *Infantum gingiuæ canis dente conteruntur, citius euocantur dentes lupino dente, & puluis dentium canis potu hauſtus morſum curat canis, & dentibus dolores, ac gingiuas componit. Tactuq; alium dentem euocat, aiunt, quidam & maius prædicant quod tactu etiam pellit ſigna cicatricum, & puluis huius dentis, vſti, cum melle reprimit gingiuas.*

De capite canis.

CANIS *capitis vſti puluis, morſum canis curat dum in potu fuerit auſtus, & cinis eius aſperſus cancroſa curat vulnera. At rabidi canis caput cum vino hauſtum regium morbũ comprimit.*

De cerebro canis.

*Cerebrum canis fracturas ſolidat, dum inuolutũ lana apponitur.*

De lingua canis.

ET *Lingua canis habet medicam facultatem, quoniam tum ſuas partes ictu ſectas, cum aliorum, ad ſalubritatem reducit, lambendo. Natura etenim dotauit linguam canis ſalubri propriete, neq; latrant canes lingua canina in calciamento ſubdita pol-*

lici ait Pli.

De corde canis.

COR Canis auſtus potu cohibet alterius canis, vocem, fugiútque canes habentem cor caninum.

De Iocinore canis.

IECUR Habet dotem contra morſum rabioſi canis cum toſtum editur.

De ſele canis.

ET Felis narrantur magnæ proprietates. quod, ſi uerum eſt, & canis & genus humanum maxime debet naturæ, propter tot dotes quibus dotauit natura partes canis. Nam plurimorum animantium & partes & corpus vniuerſum proijcitur. Canis vero nequaq̃, quoniam fel admixtus melli, langores componit oculorum. Fertur enim quod Appolonius curauerit oculorum ſuffuſiones ſele.

De Liene.

Lien canis cũ uino auſtũ prodeſt lienoſis quia ſplenem abſumit.

De pingui canis.

QVI de adipe ſcripſerunt, teſtantur, quod canis adeps. Medetur doloribus aurium, & podagræ, & quod detergit etiam lendes capillorum, & ſurditatem emendat.

De ſanguine canis.

EXPERIMENTO Inuentum eſt, q̃ ſanguis canis, auſtus potu prodeſt, quia opponitur tremori. Sanguis euulſis pilis illitus impedit ortum ſuccedentibus. Putant etiam quidam, quod, nihil eſt præſtantius canino ſanguine cõtra potum ve-

neni. Vomitiones quoq; hoc animal monſtraſſe uidetur ait Pli. tormina etiam ventris potus is componit.

De carne canis.

Neruoſa caro canis dũ bibitur aduerſus canis morſum laudatur.

De Lacte canis.

CANINI Lactis potus ortum impedit capillorum. Verum ſi fuerit nouæ puerperæ, caſus eſt cauſa pilorum. Sed lac huiuſmodi oblatum vtero gerenti mortuum fœtum excludit. Aſt nouæ puerperæ datum lac canis, uiuã educit genituram. Tamen eius albugo tollit dolores aurium & pondus. Illitum, & pilos euulſos lac illitum, confeſtim poſt euulſionem creſcere non permittit. Eoq; dentes infantis illiti creſcunt abſq; dolore, & perẽptum ab vtero fœtum, continue cum melle & vino potum lactis euocat.

De Lotione canis.

LAVACRVM e lotione canis verucam delet, quod ſi addideris portiunculam ſalis nitri, & regio morbo, & prurigini, opponetur. Sed in auxilium & fauorem hominis. Itaq; recens lotium credimus ꝙ omnem verucam comprimat. Sed lotium rabioſi calcatum canis nocet maxime vlcus habẽtibus. & qui in urinam canis ſuam egeſſerit. Torporem lumborum dicitur ſentire. Tamen lutum factum atq; in lana lectum, & callos tollit, & verucas.

De ſecibus canis.

FECES Canis dum redigeris in cinerem. Demum admiſcueris portiunculam ceræ uerucas curabis illinendo. Faciunt &

gluten ex eiſdem qui profitentur artem calciamentoriam, ad glutinandas pelles. At eorum canum feces qui ueſcuntur oſſibus exſiccatoriam habent facultatem. Itaq; hauſtæ cum lacte fiſſili dyſentericis ſuccurrũt. Admiſcẽtur etiam medicamentis antiquorum vlcerum, & melli admixtæ oppugnant anginam & glandularum inflammationes ſuperillitæ. Combuſtæ etiam melliq; admixtæ tineas comprimunt, & rhagades ani feces cum roſaceo cito curant. Sed in puluerem redactæ atque oblatæ in potu proſunt hydropicis.

## MICHAELIS ANGELI BLONDI TRACTATVS IIII.

### De Venatione.

PERACTIS Omnibus quæ ad canes ſpectant, oportunum eſt, ut iam deſcendamus ad uenationem. Nã de indagandis feris, ſiue de circumueniendis. Poſthac fiet ſermo, ideo, tum dicimus uenari animalia, cum artificio quodam, ſeu ſolertia querimus ea, quoniã arbitramur hæc quoq; perficere, ni deſuerit nobis uirtus illius, quem inuocauimus ab initio. Deo namq; præmio cuncta officia mortalium ad fœliciſſimum finem ueniunt.

Quid

Quid ſit venatio.

VENATIO non eſt Aucupium, quia auium eſt aucupium, & ſyluestrium ferarum eſt venatio. Itaq; artificioſam quãdam et ſolertem ferarum inquiſitionẽ, venationẽ eſſe dicimus.

Deferis venabilibus.

VENABILES Feræ ſunt maxime quæ ſequuntur. Lepus timidus, & pauida Dama, Simia imitatrix geſtuum humanorum. Ferox Aper, Capra ſylueſtris laſciua, atque Capreolus, Crudelis Lupus, Vulpis doloſa, Vrſus fortis, Ceruus velox, Linx maculoſa, Tigris impia, ac ſimillima, vt Pantheræ dicuntur & Leones, atque alia genera ferarum notiſſima venatoribus.

De antiquis locis, feris vberrimis.

LEPORVM copia Baleares inſulæ olim abũdabãt. Duæ quarum pityuſæ, duæ uero gimneſiæ uocantur. Hæ autẽ obrutæ leporibus. Incolæ ab Augusto contra poſtulauerũt auxilium militare, quia maxime ſamis cauſa ſuerant Lepores. Sed in campis Crotoniatis haud procul a Scylletio, olim Colonia Athenienſi, quæ non multum diſtabat a Valonia, in Epiro conſtructa ab Achiuis, erat Luporum copia. Nunc vero per vniuerſum orbem reperiuntur Lupi crudeliores præſertim in Italia. Aprorum copia fuit, in Aramanto nunc etiam in Italia. Alborum autem Vrſorum copia dicitur in Myſia eſſe, Spirant autem hi venenum ore, quoniam ſpiritu canes interficiũt venaticos. Alij uero qui capiuntur cum fiunt mites cariſſimi ſunt Principibus. Libia autẽ cum fœlici Arabia omnium

*ſerarum genere dotata eſt quoniam, & dama & capra ſylueſtris capreolus, linx, tigris, panthera, & leo, & pleraque alia ſylueſtrium animalium comperiuntur in illis regionibus, quibus aliæ pleræq; partes priuatæ ſunt.*

De ſpecie venatici canis.

OMNIS *canis qui inſequitur feras dicitur canis venaticus, & inuentus eſt ſagax ſiue odorus. Sed canis odorus eſt, uel potius odorificus qui ſequitur odorem ferarum. Sagax vero canis eſt inquiſitor ferarum atq; aliorum animalium.*

De Priſcis venatoribus.

NON *poſſumus etiam non laudare Priſcos venatores, nõ tam venationis cauſa ꝗ otij fugiendi. Inter quos maximam fert gloriam* Hyppolitus, *atq;* Abbas *qui præcipue inſequebatur apros, a quibus* Adon *interſectus eſt in ſyluis venando, &* Carpophorus *venator cariſſimus* Imperatori Domitiano *propter venationem. Priſcus violentus erat in lepores. Orion adeo præſtans erat venando, vt nulla ferarum poterat aufugere. Endimion maxime uenabatur in montibus. Legitur de Mithridate ꝙ per ſeptem annos, non eſt ingreſſus aliquã vrbem neque habitauit domos, ſeu tecta ruris. Perdix nefandus fuit venator. Acteon venator a canibus venaticis cõſumptus eſt. Philoctetes, Mopſus Cretenſis, Cephalus* Athenienſis. Hennius & Panopes Aceſte Regis Trinacriæ *in venatione comites erant. Cæteriq; alij ꝗ plurimi quos nobis præſtantiſſimis venatoribus recenſendos dimittimus, quoniam audiſtis Aeſculapium,* Milanionem, Theſeum, Palamedem, Vlyxem,

Mneſteum, Diomedem, Caſtorem, & Pollucem, Machaonem, Podaliriũ, Antilochum, Aeneam, et Achillem, qui olim, Dijs cari fuere.

De claris venatricibus.

DE Clariſſimis etiam mulieribus, legimus, has fuiſſe uenatrices. Atalanta primum inſurgit cuius patria Archadia fuit, hæc omne tempus uitæ uouerat uenationi, intacta uirginitate, quoniam laborioſos conceptus perorrebat. Caliſto magna uenatrix, filia autem Regis Licaonis qui fuit Rex Archadiæ, & de quibus fabulatur antiquitas Diana eſt, quæ perpetuo ſtadio uenandi capta erat. Arethuſa comes Dianæ, Hippechronis Centauri filia. Amimone filia Danai Nympha Britonia cæteræq́ omnes, quas clariſſimis uenatoribus notiſſimas putamus eſſe.

De uenatoribus Neotericis.

VENATORVM autem uel uenatricum clararum non oportet referre nomina recentiorum, quia uiuentibus præſentia ſunt notiſſima. Tamen ſi quis adhuc non nouit omnes, paucis docebimus quo oẽs noſcat egregios uenatores, ut ſi quando uenari uoluerit accedat ad optimos ferarum indagatores. Ideo cum quis nutrit canes uenaticos tam ſagaces, q̃ odorificos ille eſt acerrimus uenator. Propterea dum circunſpicies vrbem, & illuſtriſſimas ciuitates Italiæ, uidebis canum ululantium ſtabula, quibus fruges annuæ uix ſufficiunt. Sunt & alij quidam uenatores animo tantum, quia inopes, tamen canibus uenaticis ſemper blandiuntur, ſiue lætis oculis reſpiciunt

*illos deſiderantes, quorum ideo non retulimus nomina, quia ſeruauimus uenantium decorem.*

*De utilitate uenationis.*

PVTAMVS *nunc etiam utiliſſimam uenationem eſſe, quoniã eſt exercitiũ uitæ ſaluberrimum. Dicunt.n. medentes, ꝙ exercicium eſt humanæ uitæ conſeruatio ad ſudorem excluſiue, & ex Xeno. Labor turpitudinem & contumeliam expellit, & qui ab initio frugum penuria laborabant omnes inutiles exercitationes prohibebant præter uenaticas, quinimo uti ſanciebant, quia uenatio agilem efficit iuuenem & ſollicitum, vt facile & militiæ onus ferre poſſit uiuaciorem reddit, quoniam uenatio corporibus bonam ualetudinem comparat, Hinc enim uident, audiunt magis & ſeneſcunt minus, ait Xenop.*

*De ætatibus aptis venationi.*

LIGVRGVS *Olim condiderat legem, quod qui puberem ætatem ſuperauerint venatione utantur, præter huius ætatis homines quos publicum officium impediebat. Itaq; nos etiam pulcherrimum eſſe cenſemus, ut ꝙ primum adoloſcentes cœperint iuueneſcere, utantur uenatione, uirilis ad finem uſq; ætatis, maxime leues, ac celeres, aſſueti laboribus, grandi animo, necubi cedentes timori, patientes frigora, nec timentes æſtum, tolerantes ſitim, uigilias lucubrantes, docti in nodum atq; gyrũ corpus redigere, oculis experti micare, manu torquere aſtile, haud ignari & fundam torquere, & Satyris antiquis ſaltũ non abſimiles, cuiq; ponderi libenti animo ſuccumbentes, & equeſtres & pedeſtres, quoniam & Xenop. At qui ad ue-*

nationem quoq; toties antea exhibant, vt pro exercitatione venatores ſatis eſſent & ipſis equis. Sed vbi Artax. R, & qui erant familiares redditi ſunt vino inferiores, non amplius eodem modo neq; ipſi egrediebantur, neq; alios ducebant ad venationem, quin potius ſi qui laboris ſtudioſi, atque induſtrij una cum ſuis Aequitibus ſimul uenarentur.

Ad quos uenatio pertinet.

LEGITVR apud Xenop. q uenatio, & canes fuerit inuentio Deorum falſorum utique, quoniam Apollinis, & Dianæ. Verum nos putamus hos magnos fuiſſe Principes, quia uenatio ſolatium eſt principum. Nimirum igitur dum omnes Principes canum gregem nutriant, & ſonipedum in ſtabulis armentum paſcant, quo uenari poſſint, cum uenandi inceſſerit libido, & tempus poſtulauerit. Propterea arbitramur, q uenatio pertineat ad Imperatorem, ad Regem, Ducem, Marchionem, Comitem, & ad quemq; nobilem virum, & egregium ciuem. Aliorum autem hominum officium eſt domi proprijs artibus uenari, quoniam Xeno. Cũ uero ad uenationem Rex exierit, id quod perſæpe ait in menſe, educit cuſtodiæ dimidiũ. Venatio itaq; olim etiam fuit Principum & Regum.

De armis uenatoris.

INSTAR Caſtra ſequentium armari oportet uenatorem armis uenationi neceſſarijs, quoniam ut ſine armis non poteſt Miles belligerare, ita neq; uenator poteſt uenari abſq; armis neceſſarijs uenationi. Ideo dicimus hæc arma eſſe uenatoria, videlicet pedunculũ ramoſum ſed iacularem quo feram poſſit

percutere cum oportuerit. Arcus etiam tenſus ferendus eſſet cum pharetra, nerum eo Itali non utuntur, Aſiatici autem maxime, quia ſagittis, & procul feram feriunt, enſem autem admotum fœmori deferat uenator quamuis Panones, Dalmatæ, & Græci ferunt ſecurim, ex Italis quidam & falcem. Verum omnibus uenatoribus aſtilia commendamus, uel pila aduncho ornata cuſpide. Laquearia etiam ferenda ſunt, ad nectendum prædam, nec eſt omittendus paruus gladiolus, quia ad reſecandum, & ſcindendum feras eſt neceſſarius. Xeno. autem cum de uenatione, inquit, exeuntes in uenationem habeant oportet artus, & iuxta pharetram in uagina mucronē aut ſecurim. Præterea Cratem & pila duo, quo alterum emittant, & altero ſi opus fuerit Cominus utantur.

### De indumentis uenatoris.

ET Quoniam hominis diuerſa ſunt indumenta, ut & diuerſa tempora ſunt & uariæ nationes quæ uarijs utuntur operculis, nam ciuile indumentum eſt diſſimile tegmentis uilicis, et militaria tegmenta diuerſa ſunt a tegmentis uenatoris. Ideo uenatoris oportet ueſtimenta eſſe ſuccinta arctaq;. quoniam lata ampla ue, ſunt impedimento curſui. Cingulus autem ſit lineus & pedes coturnicibus imbuti laudantur. Caput etiam tegatur pileo, ſiue alio quouis arcto tegmine, quod maxime nō egeat uinculo. Laudamus autem indumentum quorarium quo iuniores uulgo utuntur, quoniam defendit uenatorem ab imbribus, & flatibus uentorum. Hoc .n. indumentum nec ſpinis diſtrahitur. ni mirū igitur dum Priſci uenatores pelle lintis te-

gebantur conſiderabant enim dictas utilitates. Hoc namque teſtatur Virgilius, cum inquit ſuccinctam pharetra, & maculoſe tegmine lincis. Tamen ſunt quidam qui faciũt ſoleas ex corio bouino crudo ſiue aprino nectentes uinculis factis ex pelle arietina, & is uſus calciamentorum eſt apud quoſdam Hyſpanos, Græcos, Dalmatas, & Panones. Sic namque uenantes imbuti, ſunt leuiores ad curſum, neque Lagœna omittẽda eſt, ne ſiti deſatigatus uenatur obeat diem, præcipue proluens uentrem aqua.

De arte inſidiandi leporibus.

PROCVL DVBIO Ferarum maxime, non adeo lepores capiuntur per inſidias. Nos autem uidimus uenantes, in capiendis leporibus hunc modum ſeruare inſidiandi. Dimiſi ac ſparſi uenatores per inculta frequẽtius quam per culta, arte quadam incedunt laquearibus canem leporarium detinentes. Spineta & ſentes, ſiue dumeta, ſaltusue potius celebrantes quam nemora. Nonunquam etiam præmittunt odorum canem qui e latebris pellat timidum leporẽ, poſt quẽ e laquearibus mittunt canem fugacem, altis clamoribus perſequentes, & ſunt exhortationes fugacium canum. Comprehenſi demum lepores frequentius ſcinduntur a canibus, quam cruenti ab ore canum euellantur a uenatoribus. Quot autem uenantiũ currentes procidunt, ac lacerantur, uenantibus omiſimus hoc diſcutiendum. Quidam etiam ſedentes poſt fruticem ſiue carecta ſeu dumum leporibus inſidiando, Optimorum uenatorum conſequuntur nomen, hoc fit autem cum uenantium maxima pars, e lõgis circuitibus

*expellit lepores inſequendo vſq; ad inſidiantes, quos improuiſo dum agrediuntur canes ꝙ fit bellum cruentum uenatoribus eſt notiſſimum, quoniam timidiora animalia ſemper ſternuntur. Veh igitur leporibus in conflictibus fugacium canum. Venantur autem lepores & poſt uindemiam in uineis, & in campis aratorijs confeſtim poſt menſem. Verum turgidi ac pingues maxime decipiuntur rigente bruma & ſuper niuem. Sed in diluculo leporum præſtantiſſima uenatio eſt.*

## De dotibus leporis.

VT *Autem in excuſſum aliquid de lepore nõ omittamus, Itaq; de dotibus eius dicemus. Sciendum eſt igitur, quod lepus eſt animal timidum, præterea fugitiuum, debilis naturæ, ideo molliſſimum, imbecille uiribus, & pauidum natura, ideo ſemper proripit fugam. Dotatus eſt etiam poſternis cruribus oblongis, & protenſis auriculis. Fertur autem quod lepus ſit animal inmundum, recubat ſuper petrã, recluſis obdormiens oculis,* Mas & Fœmina *idem eſt lepus, & annorum numerus cognoſcitur eius per foramina poſterna. Scriptum eſt etiã ꝙ lepus candeſcit hyeme, æſtate uero proprium colorem ſeruat, fit autem hoc, quia niuæ utitur in eſcam, quoniam recedẽte, rutileſcit annis omnibus inquit* Plinius. *Octauo an, ſine mare gingat lepus, ad huc dubium eſt. Lepus autem fit carnoſum ſed non pingue animal. Eiuſq; caro in nobis craſſum conficit ſanguinem, uerum præponitur barbato gregi. Itaq; qui cupiũt macreſcere atq; extenuari utantur canibus leporarijs. Qui uero volunt fieri pingues, fugiant eas. Ius etiam carnis huius*

*lenit*

*lenit dolorem ligamentorum, & caro aſſa ſternit inteſtinorum langores. Sanguis autem leporis uelamen abſtergit oculorum.* Retulit etiam Aui. *ꝙ cerebrum leporis medetur membrorum tremori.* Quod *nos experientes inuenimus uerum eſſe, ideo aſſatum exhibuimus.* Prodeſt *& gingiuis infantum, ad euocationem dentium, & deterſionem, quia proprium eſt illi cito dentes euocare deſtructo dolore.* Dicitur etiam *quod caput leporis uſtum & cum pingui vrſi confectum inſtar cataplaſmatis oppugnat alopitiam.* In *omnibus etiam fluoribus præcipue inteſtinorum coagulum leporis alijs quibuſꝗ coagulis præfertur.* Temperat *& morbum comitialem admixtum aceto.* Tenet *& menſes mulierum, &* Tiriacæ *admixtum confert uenenoſis.* Hoc *autem prædicatur faciat oppoſitum, recitatis, quia ſolutum cum aceto confeſtim mollit lac in ubere mulieris.* Pilus *etiam leporis fluxum ſanguinis nariũ frenat, & pulmo oculorum componit langores & pedum leſiones ex calciamentis.* Cor *etiam apenſum collo repellit quartanas, tritum etiam cum tertia parte thuris cum uino aquoſo oblatum epilenticos curat, ſed cum ſamia terra datum, medetur pro fluuijs mulierum.* Tamen *qui his maiora cupit cognoſcere de animali hoc, aſcendat ad* Philoſophum, *ubi de animalibus, atque ad* Plinium, *quoniam apud hos, & reliquos* Auctores *cognoſcet reliquas leporis proprietates.*

De arte *inſidiandi* Lupis.

LVPIS *autem acuratius ꝗ leporibus oportet inſidias parare. Illi namꝗ timidi, hij vero audentes & calidi ſunt.* Propte-

*rea ſuneis retibus ſunt decipiendi, namq; omnis alia venatio quam reticuloſa uana eſt. Ideo fiant retia fortia, ac diſtenſa, vt uidebitur, quoniam quanto fuerint tenſiora tanto vtiliora erunt, demum extenſa adligentur arboribus, ſiue alijs retinaculis arte factis. Dum tamen forti nexu extenſa retia contineantur. Ramoſis autem frondibus prætegantur admodum in pleriſq; partibus, ne lupi adeuntes cito comprehēdant inſidias. Præterea iuxta retia ex vtroq; latere, fiant quædam opercula ex ramis ſyluarum, vt eſſent ferarum tecta, ſiue cubicula, in quibus nonunq̃ latitant. Illi, quinimo ſemper, qui ſunt optimi inſidiatores, habentes acutos cuſpides quibus poſſint confeſtim aggredi lupos quos detinuerint retia. Namq;, niſi q̃ primum adorti fuerint inuoluti retibus citiſſime reuoluuntur, ac diſugiunt. Ne igitur accidat hoc, oportet eſſe venatores celeres ac forti animo, qui acutis cuſpidibus, ac iaculis perfodiant ventrē & tergora luporum. Verumtamen venantium plurimi cum canibus circundent loca in quibus lupi latitant, latrentq; tantū canes poſt illos detenti laquearibus ſiue inſtructi ad actionē, quo lupi ob impetum canum, retrorſum nō diſugiant. Agantur demum lento paſſu cum nimium diſtant a retibus, dum uero prope fuerint impetuoſe pellantur magnis cum clamoribus venantum dimiſſis cunctis canibus, ut faciant maiorem impetū. Sic etenim plurimi luporum decipiuntur. Eſt autem & alius modus decipiendi, & eſt laquearium quoddam factum arte paſtoris, quoniam q̃ primum lupus caput impoſuerit ſiue pedem, detinetur. A canibus etiam ſolent comprehendi lupi, ſed*

*hoc accidit rarius, quia lupus eſt & verſutior, & ſagacior cane.*

*Ad occiſionem luporum.*

VIDIMVS *Quoſdam agricolas, per vrbem, deferentes pelles luporum, quos aiebant occidiſſe puluere quodam, remotis omnibus armis, retibus alijsq; inſidijs luporum. Itaq; euntes vendebãt cardum varium redactum in puluerem. Dicebant. n. quod et mures necabat, quod dũ examinauimus diligenter inuenimus dictum cardum eſſe, de quo iam dictum eſt a nobis, ad occiſionem canis. Propterea parandum eſt medicamen hoc, eodem modo, dum volueris occidere lupos, & fidem Anazarbeo præſtare, ſiue Braſicam ruſticam cum ſeuo contundes atq; oppones edendum, quoniam necat lupos.*

*De dotibus lupi.*

ET *Quoniam ſtudemus etiam vtilitati venantium. Ideo dicemus de proprietate lupi, & partibus eius, quo venantes deligere poſſint, quod illis prodeſſe poterit. Sciendum eſt igitur, quod lupi præda ſit, ad tollendum animal damnoſiſſimum, & ad liberandum pecus ab eorum inſidiatore, atq; armẽtum. Natura autem illum produxit, arbitramur, maxime propter hominis commodum atq; utilitatem. Etenim vulgatiſſimum eſt huius rapaciſſimi atq; doloſiſſimi animalis pellem utiliſſimum tegmen homini eſſe ad propulſionem frigoris. Fiunt namque ex corio lupino tegmenta itinerantium itidem & uenantium, quia notiſſimum eſt illis quod hac pelle prætexti non imbribus ſiue gelu, ſed neq; ui ventorum offenduntur. Sixtus autẽ*

ad Octauium, de carne lupina, inquit, Caro Lupi comeſta curat ſantaſticos. Prudens itaq; venator ſeruabit carnis fruſtū ad vtilitatem fantaſticorum, quoniam hoc et Eſculapius confirmat. Aui. ii. Can. vbi de carne dixit, carnes Luporum, & habentium roſtra, & vngues abhorret ſtomachus, & inferius caro Luporum & habentium roſtra, & vngues bona eſt emorroydibus. & pingue lupi laudatur, ut pingue canis. Sanguis etiam eius, colonis langores ſternit. Dens vero lupi gingiuas infantum extenuat quo dentes leuius proueniant. Dens etiam curat eum in ſua paſſione, qui Lunam ſenſerit, vt Pytagoras docuit. Laudatur quoq; oculus lupi, ad accuendum intuitum. Sed cor eius, ut docet experimentator, oppugnat morbum comitialem, quod ſi diu ſeruatur arreſactum præfert aromatizitatem. Inteſtinus autem magnus, lupi vincit cruciatus colicos, vt & fimus eiuſdem, & qui viderit prior lupum, q̄ Lupus eum inſpexerit Lupi dolum comprimit & ſagacitatē. Quem vero lupus inſpexerit prius, q̄ videatur, raucus efficitur. Quod & Maro cecinit, lupi me uidere priores. Creditur etiam quod uis amatoria ſit quoq; in extremo atq; exiguo villo caudæ Lupi. Oportet autem viuo detrahere inquit Pli.

## De arte inſidiandi Vulpibus.

ET Vulpes doloſæ ſunt de animalibus venabilibus: Sagaciores autem oportet eſſe venatores in decipiendis Vulpibus q̄ ſint in uenandis cæteris animalibus, quoniam facillime proripiuntur, & curſu præſtant canes uenaticos. Propterea do-

*loſa animalia, non niſi dolis capiuntur. Occulta itaq; conficiuntur vincula in ſepibus, & dumetis quæ transgredi ſolent* Vulpes, *cum præcipue ſtudent offendere pullos gallinaceos; quia ab illis detinentur, e quibus etiam euoluuntur, ni velox cuſtos adfuerit, cum nouerit aliquam e* Vulpibus *comprehenſam eſſe.* Vulpes *enim dolo ſuperant, &* Priſcos Græcos, *&c quoſdam recentiores* Hyſpanos, *quibus omne ſtudium doloſum eſt.* Pulcherrimum *autem eſt, ſugiendo diuertentes vulpes proſequi canibus quibusuis ſagacibus.* Tamen *venantibus nullum eſt maius ſolatium, q̃ comprehendere* Vulpem *ſedentem in arbore procera, quoniam ſolet oppugnari ut caſtrum circunuallatum hoſtibus, quia nec incẽdia timet, niſi cum pars proxima uritur, plerunq; acutos etiam cuſpides non fugit, quinimo patitur perfodi, priusq̃ in turbam deſcendat canum, lectam in aciem, inq; eius cladem paratam.* Verum *cum fuerit coacta in acerrimum bellũ deſcẽdere,* Solet *deijci impetu quodam inſtar fulguris, in maximam canum cohortem, ut ſagaciſſimos laniat et a præſtantiſſimis dilaceretur, q̃ fit igitur cruentus conflictus ille venantibus res eſt notiſſima.*

*De rebus a proprietate* Vulpes *necantibus.*

ET QVONIAM *nec* Canibus *cõprehendi, neq; arte dolo ue quo uis alio, frequenter decipi nõ poteſt vulpis, ne igitur dãnoſior fiat indies.* Cũ *edulibus gratis illi amaras amygdalas conficies, atq; oppones edendum, quoniam hoc cibo perimi ſo-*

let, hoc etenim docuit nos Anazarbeus lib. primo. Præterea braſica ruſtica cum ſeuo panibus datum in cibo varias Vulpes necat inquit idem in quarto eiuſdem operis.

De dotibus Vulpis.

ET Si doloſum eſt animal Vulpis. Tamen natura ipſam etiam dotauit proprietatibus, ne igitur uenantes fruſtra inſidientur illi, ſiue poſt comprehenſam prædam pelle detracta ne deijciant carnes Vulpis. Dotes ſingulas narrabimus, ut ſeruent proprijs affectibus profutura. His etenim notis diligentius Vulpes uenari proponent. Itaq; Vulpis eſt notiſſimum animal, & inſectari ſolet pellis ob cauſam, nanq; calidior eſt cæteris. Verum neq; eius caro abijcienda eſt quoniam elixa in pingui oleo oliuæ, componit omnes frigidos affectus nodorum, & quorumuis ligamentorum remolliens neruos contractos, & collectas tuboroſitates. At pingue Vulpis ſternit auriũ dentiumq; langores, et pulmo eius confert phtiſicis dispneamq; oppugnat.

De arte inſidiandi Vrſis.

ET Si Vrſus etiam decipitur, ut quoduis animal uenabile. Tamen Vrſus eget maioribus inſidijs ſolidioribusq; vinculis q̃ quodvis relatum animal, Viribus itaq; ac fortiſſimo Robore indiget qui Vrſum vult ſuperare, nanq; cum retibus funeis nõ impeditur ſolet aggredi uenantem, cupiens ſtrictis amplexibus luctari. Plerunq; igitur uincit & non uincitur. Vidimus autem hominem fracta referentem crura qui cum Vrſo lucta-

*tusfuerat. Isq; ni raptim præcepsq; ſe ipſum ex prærupta rupe deieciſſet ſperantis prædæ factus eſſet præda. Verum cæleſti fauore atq; ope medica adiutus conualuit, perdens nomẽ uenatoris quia claudus. Tamen cum quis cupit inſidiari Vrſo poſt retia cautius latitat. Cumq; inuolutum Vrſum conſpexerit quem uis canum fugatium compulerit feſſum acuto cuſpide feriat aſtilibus corneis infixo perq; os et gulã nitatur fodere dum uictor cupit eſſe, neq; expaueſcere oportet, quia pauor fortis etiam animi ſternit uires, dum uero quis ſit vilis animi, fugiat cum procul beſtia eſt, ſin forti fuerit animo, furens expectet animal, donec aſtilibus transfigatur, & canibus conterratur ſagacibus. Vbi igitur fuerit copia Vrſorũ, ibi oportet eſſe uenantium multitudinem.*

## De dotibus Vrſi.

ET *Quoniam Vrſus etiam dotatus eſt multis proprietatibus. Ideo narrabimus & dotes eius quo venatores alacrius poſſint uenari, vtentes Vrſi proprietatibus ad conſeruationem propriæ ualetudinis. Itaq; conſtat Vrſum animal ſæuum eſſe, de quo, quanta ſcripſerit Ariſt. Alex. Solinus & Pli. arbitramur fore notiſſimum. Propterea nos tangimus ea tantũ quæ uenantes ſeligent ad propriam utilitatem. Carnes Vrſinas dicimus eſſe duræ concoctionis propter glutinum quoddam, quoniam tales natura ſunt. Nequam igitur eſt alimentum ex his carnibus. Ideo putamus potius edendas eſſe fauore medendi ꝙ gratia cibi. Fert autem princeps quod adeps Vrſi oppugnat Alopiciã; Verum, retulit Anazar. quod pingue Vrſi confert*

incremento capillorum, prodeſt & laborantibus morbo comitiali, atq; illitum vmbilico ſoluit corpus infantum.

De arte inſidiandi Ceruis.

LEVES etiam Cerui inſidijs detinentur. Tenſis etenim retibus comprehenduntur Moloſſis canibus, ac Teucris dilacerari ſolent uenando. Tamen cum ceruorum agmen in latiſſimis pratis paſcitur fruſtra inſequitur a uenatoribus, nanq; leuiores ſunt cerui et ſagaciſſimis canibus, neq; iuxta fontes oportet ceruos inſequi, quoniam, ut audiuimus tranant. & latiſſima maria in ulteriorem regionem acti præcipue a canibus. Ideo cum quis cupit ceruos decipere. Dicimus, agendos eſſe in nemora, & ſaltus auios, quia cornibus arboreis in ſyluis præripiuntur, ſeu detinentur ad accurſum canum, & ſic miſerrime ceduntur, ac laniantur. Percepimus etiam ceruos coactos neceſſitate ad uenantes homines tanq̃ ad ſuos defenſores ante uim canum confugiſſe, quos cum tueri deberent acutis fodiunt cuſpibus, ſeu funibus nectunt canapeis. Sicq; victores, præda, haud laborioſa uenatores gloriantur in ciuitatibus. Xenophon autem in de uenatione, cum de hinnulorum, & ceruorum uenatione refert, tum Indicos canes oportere eſſe aduerſus hinnulos, & ceruos, quia erant valde magnæ & ueloces, nec puſillanimes, & cum tales fuerant ad laborem ſufficiebant, ſed cum tales haberi non poſſunt hac tempeſtate eligantur præſtantiores, de quibus iam diximus, quoniam efficient haud minora venando, q̃ fecere indice canes. Docet etiam idem q̃ hinnuli teneli uenantur uerno tempore, tum enim prodeunt in

lucem

*lucem e viſceribus parentis. Præterea inſtruit venatorem in ſylvis contemplari in quibus ceruæ plurimum verſantur, & antelucanis horis venator adueniens locum armatus, vt deſcripſimus, religatos canes dimittant procul a nemore, ne perſpecta cerua concitent latratus, quod eſſet cauſa vanæ venationis, in ortu vero Auroræ proſpiciat in quod ſpeleum cerua ducit hinnulos fotura, nam recumbens præbet natis vbera, ſtudioſe intuens ne ab aliquo perſpiciatur, hæc igitur vbi perſpexeris, ſoluito canes, tu uero aſtilibus manu uibrantibus ad primum procedito hinnulum ſpelei memor in quo recubuerit cerua ne ductus errore decipiaris, nam multoties illud eſt diſtantius quod propius videbatur, inſpecto tandem hinnulo, uel cerua impetuoſius accedes, quia immotus manet ut terræ affixus, quinimo & permittit ſe ipſum opprimi rugiens fortiter, niſi cum imbre perfuſus erit, Tum enim diſugere ſolet ob rigorem frigoris, comprehenditur autem a canibus perſequentibus cum labore, qui tandē tradendus eſt retium cuſtodi, quia cerua parens tū ad rugientem cum ad detinentem accurrit, ac retinentem aggreditur, ut eripiat hinnulū, tum ergo hortentur canes, & torqueat iaculos venator, nam & cæteri hinnulorum adcurrentes ſic decipiuntur. Grandiores vero laborioſus decipiuntur, quia paſcentes cum matribus acti a venantibus fugiunt celerius parentibus, præcipue cum ceruæ oppugnantes reſiſtunt canibus, ideo haud facile capiuntur niſi turbati, ac diſſipati, veloci tandem equo perſecuti vix primo curſu iungūtur hinnuli, ſecundo uero, vel tertio, corripiūtur ait Xenoph. quia*

*ætas tenera labori ſupereſſe non poteſt, tandem uenatio ceruorum cum ſit pulcherrima, ni mirum quod* Franciſcus *Chriſtianiſs.* R. *Galliæ hoc genere nenandi præcipue oblectatur.* Solertem. n. *tũ equitem cum venatorem redit ceruorum venatio.* Itaq; *iudicamus* Regem *hunc præſtantiſſimum* Equitem *eſſe, propterea & optimum bellatorem.*

## De dotibus cerui.

ET *Si quis accuratius ſcribere potuiſſet, de dotibus cerui.* Tamẽ *arbitramur ꝗ nemo fidelius nobis referre poſſet quæ cariſſima uenantibus eſſe debent, quamobrem eligentes potiora, legimus apud* Ariſt. *In de nat.* Animalium *quod cerui uere uigent maxime ad curſum cum fugiunt.* Inteſtinum *uero tenue atq; imbecille habent, vt etiam ſi leuiter percuſſeris rumpi poſſit, cute adhuc integra, Idem quoq; petra diſrupta eſt uno aditu, unde deffendere ſe repugnareq; ſolet, ijs qui inuadunt.* Verum *ad dotes cerui accedentes a cornibus incboabimus, quoniam primũ ea ſeſe nobis obijciunt, dum producuntur cornua molliaq; ſint, optantur in alimentum a nobilioribus, quia ſunt eſculentũ precioſiſſimum.* Poſſident. n. *maximas & precioſiſſimas dotes in aconitum.* Adultorũ *autem cornuum atque arboreorum maxima dos eſt in morbum comitialem.* At *cinis cornu cerui oxirodino permixtum ſuperat langorem capitis.* Solidat & *dentes fluctuantes.* Hoc *etiam cornu fluoribus obſtamus capitis, & puluis cornu cerui frenum eſt ſanguinis quem quis eijcit ab ore, eſt etiam præſidio homini in lumbricos, deglutitum, & laudatur cornu dextrũ.* Præſtantius *namq; ſcimus*

eſſe in medendo. Sed ex cornu cerui fiunt & quædam ornamenta armorũ. Ex corio autem fiunt tegmenta hominum, ac rerum multarũ opercula. Dicitur etenim quod inuolutus pelle ceruina non timet ſerpentes. Tamen caro ceruina ſeruat hominem calidis ab affectibus. Verum quia cerua dum gerit vtero male olet, & inſtar hircorum, tum demum non eſt venãda. Os etiam de corde cerui ſeruandum eſt quia maxime prodeſt cordi. Eſtq́ uis in illo temperare melancholiam. Pulmo remollit tuſſim. Coagulũ cerui laudatur contra hauſtum venenoſorum: Lotium placat dolorem lienis, & flatuoſos ſpiritus uentriculi, & uentris ſternit. Viſcera autem damnamus quoniam ea & famelici canes diffugiunt etiam.

De arte inſidiandi capreis.

DE Venabilibus etiam animantibus caprea eſt. Compar equidem leuiſſimo ceruo. Ideo putamus capreas uenandas eſſe eadem arte, qua & cerui decipiuntur. Comprehenduntur enim canibus, implicantur & retibus, at rarius q̃ cerui, quoniam alpes & montiũ culmina colunt. Propterea oportet inſidias præponere montibus, & collibus. In ſyluis etenim citius decipiuntur, nam frequenter fuga uenatorem decipiunt. Studendũ eſt quoq;, ne Venantes perſpiciantur ab illis, quia procul etiã agnoſcunt Venatorem. Ideo uelociter occultantur difugientes. Cum uero uim canum & inſidias Venantum prope ſenſerint, ex rupibus etiam præcipitantur, quare & rupes ſunt obſidẽdæ, dum hanc prædam corripere uultis. Tamen nouimus, ut circa Romanos agros, inq́ ſyluis ſub urbanis, inſidiatores ia-

culis, noctu, ſiue machina ferrea igni crepitante transfigunt ad mortem, tam capreas, quam ceruos, urſos, atque apros, quod eſt notiſſimum urbis acolis, hoc fit autem fauore luminis Lunæ. Hoc autem pronũciamus officium non eſſe uenãtum. Eſt enim ars hæc inſidiantis, inuenta propter lucrum.

De dotibus capreæ.

QVIA Studium uenandi noſtrorum temporum. Penitus non imitatur Priſcam artem uenatoriam. Ideo omniũ uenantium, ſtudentes, utilitati ac ſolatio, ab initio propoſuimus, quaſi periclitatam artem uenandi Priſco reſtituere nitori. Proceſſimus congruo ordine, inſidiarum diuerſitates utique honeſtarum, ſpectantium ad Principes & uiros egregios, potius quam ad uulgares homines, uerũ ſtudiũ aperientes. Ideo ſperamus oĩum Venantium familiaritatem nobis maxime profuturam, quoniã moti eorũ amore curauimus, poſt artem inſidiatoriam, dotes etiam prædarum deſcribere. Itaque currentes ad calcem uenationis. Dicimus poſtremo & capreæ dotes, ut hinc Venantes etiam ſelectis proprietatibus, læti uertantur domum, feris circunſepti diſputantes de fuga ferarum, & canum præſtantia, memores etiam dotis ferarum, capreæ adiectis proprietatibus. Caprea etenim ſaxa & rupes altiſſimas celebrando habitat, quoniam reſpectu aliorum animalium, timidum animal eſt. Tamen uidimus & manſuetum, nam inter homines deponit feritatem celerrime, ut & hinnulus cerui. Dicitur autẽ quod partem ſectam ictu reficit pulegio, ex pelle fimbriãtur mulierum pellicea indumenta, fiunt & chirotecæ, & reliqua

*ad vſum hominis. Caro in nobis alit ſuccum melancolicum. Pingue eius medetur langoribus articulorum. Nec ſanguis capreoli glatiatur, ſed feces eius cum vino proſunt ictericis, atq; nardo adiecta ciunt menſes mulierum, alios tamen fluores ſanguinis frenat cum aceto hauſtus. Vſtæ etiam feces admixtæ oximeli alopitias detergunt.*

De Imperatore Maximiano.

HACTENVS *Scripſimus, de canibus & venatione, remotis exemplis noſtræ tēpeſtatis. Ideo ne opus hoc prodeat in lucem tali remoto ornamento, Ab Imperatore Maximiano olim Auguſto, auſpicabimur. Cum eſſet notiſſimum illi, q̄ venatio citra delectationem afferat vitæ ſalubritatem. Ideo præſtantiſſimos Venatores Priſcos magni animi ardore imitabatur. Itaq; inter cæteras venationes, accidit venando, in Bauaria q̄ perſequens Dammam, raptim per deuia ſecutus eſt feram, in latebras vſq; præruptas, cumq; deſcendere vellet ad venantes, in prærupta rupe conſiſtens timuit, Propterea ni a Venatoribus adiutus eſſet, Graue diſcrimen pati coactus erat vitam viuens in præruptis rupibus more ferarum, Erat. n. iremeabilis locus in quem ardor animi venantis illū perduxerat, ut acerrimum Venatorem, & ſi cruciaretur articulorum affectibus. En itaq; quanti ſit venatio ab ipſis noſtris auguſtiſſimis Imperatoribus. Vexillum etiam crucis in memoriam arduo præfixit loco, quod præcipue Germanis eſt notiſſimum, quia Bauaria eſt in finibus Germaniæ, atq; Auſtriæ proxima.*

QVID Autem dicendum ſit de Franciſco Chriſtianiſs. Rege Gallorum, qui quanta ſolertia omnes præſtat Venatores, ac magnanimitate, ex hac Regia, tũ Venatione, cum Liberalitate, facile omnibus notum erit, etenim percepimus, ut ſuperioribus annis, venando in quodam nemore ſeruato Regiæ tantum Venationi, poſt ex actas pleraſq; ferarum inſidias, poſtq; factas plurimas prædas cum fugacibus canibus, incidit, Rex Venator alijs quippe ſolertior, in leuiſſimum ceruum, quem perſequens ueloci equo inſidens, conſtituit uel in noctem feram perſequi, vel prædæ poſſeſſor eſſe. Itaq; ſolus cum hac deliberatione generoſi animi, adeo ſemotus eſt a Venantibus, ut perempta fera per auia redire non poterat ad uenantes, uerum, nemus denſiſſimũ circundans errando, cruciabat corpus ſiti, nanq; erat quaſi meridies, demũ ut ſollicitus ſcrutator rerum, incidit in quoddam tugurium, in quo reperiens annoſum Agricolam, quem Regia humanitate compellens, inquit, Heus vir bone, num quid habes quo noſtros artus Sole ardentes tẽperemus, quem reſpiciens annoſus ille, ait, quippe uoce tremula, quoniam vultus regius ignotus etiam quandoq; inducit lætum pauorem proſpicienti, uirtute propria, equidem mihi videris eſſe, uir genere clariſſimus, quoniam Regem nunq̃ nouerat ille, habeo inquit, ideo deſcendito, quia Rex pulcherrimus, celeberrimo inſidebat Equo, tum Rex ſine mora parẽs Agricolæ uetulo, cœpit ſeſe exercere in parandis edulibus, quibus defeſſi Venatoris cito reficitur corpus. Etenim venaticũ exer-

citium appetitũ edendi vehementer concitat; dumq; uetulus Agricola ſugientem gallinam comprimere non poſſet, adiutus a Rege compreſſit eam, interſecit, mundauit, & ueru infixo concoxit aſſando. Proculdubio hoc ſpectaculum erat uiſu pulcherrimum, generoſum Principem, & ſolertiſſimum Venatorem cũ annoſo Agricola obſonium parare, itaq; refectis ſpiritibus redditisq; gratijs uetuli ſeni, receſſit ad venãtes, quorũ obuiam occurrit magna caterua, nanq; a Venatoribus ſtudioſe querebatur. Demum peracta Venatione reuerſus eſt Princeps in aulas Regales tandem breui ex acto tempore concitus eſt Princeps generoſiſſimus animi dote pulcherrima, Liberalitate, iuſſit ergo aduocare uetulum Agricolam; memor accepti beneficij, qui cũ nomine Regio citatus eſſet ualde miratus eſt. Dicebat. n. quod neq; ætas eius, neq; ars quicq; fructuoſum Regiæ Maieſtati amplius poterat efficere, quia longeua ætas neruorum eius clatratorũ uires conſumpſerat. Verum is mandato Regio obtemperans, aduenit coramq; conſtitit. Cui Rex humili voce, num mi uetule Regem tuum unq̃ nouiſti? Cum ille nunq̃. Rex autem dic Sodes, num tibi ſuccurrit, q̃ proximis diebus quendam Venatorem laſſum ex venatione ſuauiſſimis epulis uillaticis obſanatus es. At ille uix memor factus anuit. Tum Rex aprehendens manu ſenem, oſtendens Regiam liberalitatẽ annoſo Agricolæ donauit uniuerſum nemus illud in quo ætatem conſumpſerat, ut ſolus & uerus dominus eſſet illius nemoris. Itaq; uetulus ille ex Agricola factus eſt de Curialibus Regijs haud minimus. En igitur, ueri Principis

*atq; acerrimi Venatoris, mos Regius æterna laus, perẽni quidem gloria digna, qua ſolus is Princeps inter alios, mirum immodum fulget noſtris tẽporibus. Omnes itaq; hortamur Principes, ut quẽadmodum acerrimorum venatorum ſtudium uenandi imitari ſtudetis. Ita etiam Frãciſci. R. Francorum ſtudete imitari liberalitatem, quoniam is uerum exemplar eſt omnium Principum in qualibet probitate.*

De Magno *Turcarum Principe.*

MAGNI *Turcarum Principis quædam magna etiam dicemus. & ſi maximas eius Venationes referre poteramus, eſt nanq; Venator acerrimus ille. Ideo iuſſit populis, ut cuſtodirent Venationes. Itaq; pleriſq; in partibus Aſiæ ſeruantur loca plena ferarum in Regiam Venationem. Præterea haud procul a campis Philippicis ſeruatur mons nemoroſus, ceruorũ uberrimus, in Venationẽ magni. P. Turcarum. At in Aſia deſignatus eſt locus Venationi Regiæ in planitie ſyluoſa quæ e duobus angulis diſiectis in lata cornua circundatur funibus ex quibus pendent rami feris minantes. Nam Venantũ multitudo agmen ſequendo ferarum reducit in ſyluam arctiorem ramoſis circunſeptam ſyluis arctiſſime, ne fugaces feræ poſſint difugere. Demum conducta Animalia ad inſidias ignotas difugere ſperantes, In latam foueam arte effoſſam præcipitantur. Cumq; vniuerſum agmen ferarũ reductum fuerit in locũ inſidiarum, Tum magnus. P. Turcarum egregius ſagittator e ſpecula quadam, modo ceruum cornigerum, modo capream, ſeu leporem timidum, modo ſetigerũ aprum, modo ſæuum Vr-*

*ſum,*

ſum, modo Vulpem doloſam, ſiue Lupum, docta manu ſagittat. Itaq; peremptis feris ad ſatietatem animi, fauſtiſſimus vertitur Regales in Aulas.

## Blondus ad Venatores.

DIVERSORVM Principum etiam pleraq; alia referre potuiſſemus. Verum ne notiſſimis exemplis Venantibus moleſti eſſemus, notiſſimas Venationes Principum noſtrorũ omiſimus. q̃ ſit autem Venatio exercitiũ laudabile, Putamus & clariſſimis & illuſtribus Viris notiſſimum eſſe. Ideo arbitramur q; nullus Principum egreſeret optimam de moribus ſuis æſtimationem. Quinimo omnis illuſtris profitebitur amicum ſe illius eſſe, qui ſcripſerit de moribus Principum, quoniam & grauiſſimi, & doctiſſimi, & ſanctiſſimi homines de moribus Principum olim ſcripſerunt. Itaq; non eſt mirãdum ſi eoſdẽ imitamur. Quod cum ſit notiſſimum eruditis, putamus illos noſcere, quos quantos ue Authores ſecuti ſumus, ut errare potuimus. At cũm illis qui non ſeria modo, uerum etiam luſus exprimere laudabile eſſe iudicauerunt.

FINIS.

Ex Tugurio Michaelis Angeli Blondi.

## AD SERENISSIMVM AC CHRI- ſtianiſſimum Regem Gallorum, Antonij Briganti Epigrãma.

SI Dumeta, canes, tanti facis inclyte Regum:
Nil mirum, & ſuperi nemora denſa colunt.
En Dea Venatrix, en ſpicula, Thyrſis, & Arcus,
Quæ in ſyluis Dammas continue inſequitur,
Acteon, hic, & Adon, cunctos & qui otia vitant,
Hic Liber exponit Retia, vincla, feras,
Sume igitur vultu hunc hilari Rex alme Libellum
Et Blondo faueant pectora celſa tuo.

INDEX CAPITVM LIBELLI, SVB
*ordine quatuor Tractatuum diſtinctus quorum primus orditur a Canibus.*


| | | |
|---|---|---|
| *Prohœmium* | *pag.* | *iij.* |
| *De cane caput primum* | *p.* | *iij.* |
| *de ſignificato canis in tergore* | *p.* | *iij.* |
| *de antiquis nominibus canis* | *p.* | *iiij.* |
| *de Neotericis nominibus canis in tergore* | *p.* | *iiij.* |
| *de genere canis in tergore* | *p.* | *iiij.* |
| *de cane uillatico* | *p.* | *v.* |
| *de forma præſtantiori uillatici.* | *p.* | *v.* |
| *de cane deſenſorio in tergore* | *p.* | *v.* |
| *de cane paſtorali* | *p.* | *vi.* |
| *de cane uenatico in tergore* | *p.* | *vi.* |
| *de cane odoro in tergore* | *p.* | *vij.* |
| *de caniculo delicioſo* | *p.* | *viij.* |
| *de cane ſodali* | *p.* | *viij.* |
| *de inutili cane* | *p.* | *viij.* |
| *de fidelitate canis* | *p.* | *viij.* |
| *de Priſcis amantibus canum* | *p.* | *ix.* |
| *de Neotericis nominibus canis in tergore* | *p.* | *ix.* |
| *de conceptu canis, & fœtura in tergore* | *p.* | *ix.* |
| *de uario genere canis & admixtione* | *p.* | *x.* |
| *de cane admiſario in tergore* | *p.* | *x.* |
| *de uiliſſimo cane* | *p.* | *xi.* |

De catulis eligendis p. xi.
de catulis alendis p. xi.
de catulis erudiendis in tergore p. xi.
de moribus canis in tergore p. xi.
de catulo Indo in tergore p. xij.
de nautico cane in tergore p. xij.
de præſtantiſſimis, maximis, ac fortiſſimis canibus Priſcorum in tergore p. xij.
De antiquis locis uberrimis canibus p. xiij.
de Neotericis canis exemplis in tergore p. xiij.
Exemplum de puero, & cane in tergore p. xiij.
Exemplum de Mercatore, & cane p. xiiij.
Exemplum de amante, & cane p. xiiij.
de cane pontani p. xv.
Epit. canis Lydiæ Martialis p. xv.
Romæ carmen in tergore p. xv.
Franciſci Molſij carmen in tergore p. xv.
de moribus Priſ. ex Pli. in tergore p. xv.
de antiquo uaticinio ex cane in tergore p. xv.
de ſacrificio canis priſcorum p. xvi.
de cane Agricolæ palamedis p. xvi.
de cane quod fabulatur p. xvi.
de canibus ex Solino p. xvi.
de canibus ex Artemidoro in tergore p. xvi.
de cane Marchionis Mantuæ p. xvii.
de canibus Venetorum p. xvii.

Inſcriptio catellæ Rhed. Gonzagæ p. eadem

Tractatus Secundus.

De vulneribus canis in tergore p. eadem
de cura ex morſu feræ p. xviij.
de rabie canis in tergore p. eadem
de ſcabie canis p. xix.
de torminibus uentris canis p. eadem
de uomitu canis in tergore p. eadem
de faſcinatione canis in tergore p. eadem
de propulſione morborum canis p. xx.
de conſeruatione canis p. eadem
de pediculis canis p. eadem
de laborioſo anhelitu canis in tergore p. eadem
de tuſſi canis in tergore p. eadem
de placandis canibus in tergore p. eadem
Vt canis ſequatur te in tergore p. eadem
de pulicibus necandis in tergore p. eadem
de uerme Ricino canis p. xxi.
de ornamento canis p. eadem
de notandis quibuſdam p. eadem

Tractatus Tertius.

De proprietatibus canis in tergore p. xxi.
Ad impetum canis p. xxij.
Ad occiſionem canis p. eadem
Ad morſum canis rabioſi in tergore p. eadem
Ad latratum in tergore p. eadem

| | | |
|---|---|---|
| De pilis canis | p. | xxiij. |
| de cute canis | p. | eadem |
| de dente canis | p. | eadem |
| de capite canis | p. | eadem |
| de cerebro canis | p. | eadem |
| de lingua canis | p. | eadem |
| de corde canis in tergore | p. | eadem |
| de iocinore canis in tergore | p. | eadem |
| de ſele canis in tergore | p. | eadem |
| de liene canis in tergore | p. | eadem |
| de pingui canis in tergore | p. | eadem |
| de ſanguine canis in tergore | p. | eadem |
| de carne canis | p. | xxiiij. |
| de lacte canis | p. | eadem |
| de lotione canis | p. | eadem |
| de fecibus canis. | p. | eadem |


Tractatus Quartus.


| | | |
|---|---|---|
| De uenatione in tergore | p. | xxiiij. |
| Quid ſit uenatio | p. | xxv. |
| de feris venabilibus | p. | eadem |
| de antiquis locis feris vberrimis | p. | eadem |
| de ſpecie venatici canis in tergore | p. | eadem |
| de priſcis venatoribus in tergore | p. | eadem |
| de claris Venatricibus | p. | xxvi. |
| de Venatoribus Neotericis | p. | eadem |
| de vtilitate Venationis in tergore | p. | xxvi. |

| | | |
|---|---|---|
| De ætatibus aptis Venationi in tergore | p. | xxvi. |
| Ad quos uenatio pertinet | p. | xxvij. |
| de armis uenatoris | p. | eadem |
| de indumentis uenatoris in tergore | p. | xxvij. |
| de arte inſidiandi leporibus | p. | xxviij. |
| de dotibus leporis in tergore | p. | xxviij. |
| de arte inſidiandi Lupis | p. | xxviiij. |
| Ad occioſionem Luporum | p. | xxx. |
| de dotibus Lupi | p. | eadem |
| de arte inſidiandi Vulpibus in tergore | p. | xxx. |
| de rebus a proprietate Vulpes necantibus | p. | xxxi. |
| de dotibus Vulpis in tergore | p. | eadem |
| de arte inſidiandi Vrſis in tergore | p. | eadem |
| de dotibus Vrſi | p. | xxxij. |
| de arte inſidiandi ceruis in tergore | p. | eadem |
| de dotibus cerui in tergore | p. | xxxiij. |
| de arte inſidiandi capreis | p. | xxxiiij. |
| de dotibus capreæ in tergore | p. | eadem |
| de Imperatore Maximiano | p. | xxxv. |
| de Rege Gallorum in tergore | p. | eadem |
| de magno Turcarum Principe in tergore | p. | xxxvi. |
| Blondus ad Venatores. | p. | xxxvij. |

Impreſſum Romæ apud Antonium Bladum
Aſulanum. M. D. XLIIII.

De canibus Aptis Venationi in tergore p. xxvi.
Ad quos uenatio pertinet p. xxvij.
de armis uenatoris p. eadem
de indumentis uenatoris in tergore p. xxvij.
de arte inſidiandi leporibus p. xxviij.
de dotibus leporis in tergore p. xxviij.
de arte inſidiandi Lupis p. xxviiij.
Ad occiſionem Luporum p. xxx.
de dotibus Lupi p. eadem
de arte inſidiandi Vulpibus in tergore p. xxx.
de rebus a proprietate Vulpes uocantibus p. xxxi.
de dotibus Vulpis in tergore p. eadem
de arte inſidiandi Vrſis in tergore p. eadem
de dotibus Vrſi p. xxxij.
de arte inſidiandi ceruis in tergore p. eadem
de dotibus cerui in tergore p. xxxiij.
de arte inſidiandi capreis p. xxxiiij.
de dotibus capreæ in tergore p. eadem
de Imperatore Maximiliano p. xxxv.
de Rege Gallorum in tergore p. eadem
de magno Turcarum Principe in tergore p. xxxvi.
Blondus ad Venatores. p. xxxvij.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA
671,917

Impreſſum Romæ apud Antonium Bladum
Aſulanum. M. D. XLIIII.

ay-